VARIA POËMATVM ET ORATIONVM GENERA,

A D. VINCENTIO LIBASSI,
Sacræ Theologiæ Doctore, & Eccleſiæ Panormitanæ Canonico,

CONSCRIPTA.

AREOLA SECVNDA.

M.DC.L  XXXIII.

PANORMI
Ex Typographio D. Cyllenij Heſperij.

Cum facultate Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

IN NATALITIA DOMINI

ECLOGA PRIMA.

PHæbus cæruleis ſummum proſpexerat Hermon
Vectus equis, duros referens cũ luce labores:
Et iam manè nouum, vitreis & cana pruinis
Gramina grata gregi, capras, auidoſque iuuencos,
Ductoreſque ipſos ad pabula nota vocabant;
Cùm niueas eduxit oues ad paſcua Mopſus.
Vallis erat, pronus quà ſe ſubducere collis
Incipit, apta quies feſſis, & dulce leuamen,
Seu ſedeant, placido mandent ſeu membra ſopori:
Vmbriferæ circùm platani, laurique loquaces,
Et tonſæ pinus, & coniferæ cypariſſi
Continua ſurgunt ſerie, & longo ordine vallem
Arborea cingunt nullo cultore corona:
In medio ſecretus ager, notiſſimus hædis
Viſitur: hìc Zephyro pubeſcunt gramina, paſſim
Aureoli rident flores, roſa verna per herbas
Purpurat, & Tyrio diſcriminat arua colore:
Hìc quoque fallaces ſurgit Narciſſus ad vndas,
Hìc quoque deploras tacitis Hyacinthe querelis:
Nam qui prærupto præceps è vertice collis
Proſilit, & rauco mordet cum murmure cautes
Amnis, odoratos roranti aſpergine flores
Educat, & curuo præcingit margine campum.

Digitized by Google

Inuius ille foret, ni prouida fingeret artem
Ingenio Natura ſuo: nam margine vtroque
Conſurgunt geminæ platani, capita ardua ad auras
Tollunt, & patulo defendunt tegmine ſoles.
Sed ſenſim flexæ truncis hinc inde ſupinis
Committunt pontem: tremulo ille virens adianto,
Quem ſubterfugiens cum murmure verberat vnda,
Sponte laborato flumen complectitur arcu.
Huc via paſtorem duxit: trans flumen ad herbam
Exponens pecus, ad platanum prope flumina ſedit
Mæſtus, & ingrato miſcens ſuſpiria fletu
Triſtia ſpinoſo lacerat ſibi corda dolore.
Non dulces de more ſonos, non dulcia ſiluæ
Carmina, ſed triſtes Mopſi didicere querelas.
Mopſo ſuſpirant platani, ſuſpirat & ornus
Ad Zephyrum, & querulo comitantur fata ſuſurro.
Mopſo ſordet ager, florentia germina ſordent,
Fiſtula, paſtorumque decus, pecorumque voluptas,
Poſt tergum neglecta tacet: non carmina gaudet
Ludere, lanigeraſue manu mulcere capellas.
Ceu validus lenta correptus peſte iuuencus,
Infelix operum gemitu trahit ilia anhelo,
Et dubia ceruice labans, ignauiùs herbas
Ore metit ſummo, vitreoſque auertitur amnes.
Interea Corydon primo cum lumine ſaltus
Venandi ſtudio inuadit, iam luſtra pererrat,
Aptat & inſidias timidis per retia ceruis;
Hic videt ad platanũ Mopsũ: COR. *Quid triſtis, inerſque*

(In-

(Inquit) & obducto diffundis nubila vultu?
Vnde tibi iſte dolor, tacitæque in pectore curæ?
Ecquis erit modus? inſano indulgere dolori,
Mopſe iuuat, dum gaudet ager, dum gramina rident
Floribus, atque alacres populantur prata capellæ?
Excute corde metum; pulſis iam nubibus æther
Exuitur, ſic te mordacibus exue curis.
MOP. *Non bene ficta hilari cōponitur ore voluptas,*
Falſaque mendaci ſimulantur gaudia vultu,
Saucia ſecreti lacerant vbi corda dolores.
Sæpe etiam inuidit miſeris Fortuna colonis,
Sæpe etiam immeritos, Corydon, quis credat? acerbas
Cogit adire vices. COR. *Sed quæ tibi cauſa doloris?*
Quis toto agricola queat eſſe beatior orbe?
Solicitis vacuus curis, ac fraude remota
Rus patrium procul vrbe colit: non anxia mordet
Pectora liuor edax, clauſo non incubat auro,
Non auidam laniat ſtimulante cupidine mentem:
Sed dulcis requies, curiſque ignota voluptas
Semper adeſt: nunc ipſe vagas per prata capellas
Sectatur, dulci turgentia nectare mulgens
Vbera; nunc baculo nixus modulatur auena,
Et curuas geminare docet ſua gaudia valles.
Sæpe locat feſſum viridanti in margine corpus,
Et facilem lento depellit verbere lympham:
Sæpe ſuſurrantis platani requieſcit in vmbra,
Conciliant placidos volucrū dum carmina ſomnos;
Et iuuat è duris auellere mora rubetis,

Et fontem captaſſe manu. Proh pura voluptas!
Proh bona paſtorum! pingues in paupere cultu
Securam ducunt pacato corde ſenectam.
Mo. *Si neſcis, canibus mihi carior omnibus Augon,*
Ah miſer! excubias agitabat ouilia circùm
Impiger, & fida ſepem ſtatione tenebat;
Cùm pecori fuſo nocturnos proſpicit vrſam
Explorare dolos: auidum moriturus in hoſtem
Irruit, ille quidem timidum tutatus ouile eſt,
Pulchra per immanes petijt ſed funera morſus.
Cernis vt amiſſo paueant cuſtode capellæ?
Et comes haud poſthac ſtabulũ repetentibus Augon
Diſcurret, crebris feriens latratibus auras.
Gaudent hoc moriente lupi, quo ſoſpite nunquam
Auſi ſunt noſtras incurſu inuadere caulas.
Cor. *Sis felix: nunquam deinceps tibi cauſa timoris*
Hæc erit: indomitos poſthac armenta leones
Haud metuent: hinc inter oues innoxia vulpes,
Et ſine fraude lupi circùm ſtabula ipſa vagantes
Mollia ſepoſito coniungent fœdera bello.
Ipſe Deus, puer ipſe Deus, delapſus Olympo,
Quem fouet amplexu infantem Bethlemis in antro
Virgo parens, ipſe ingrata formidine terras
Soluit, & infecto extinguit contagia ouili.
Hoc naſcente adeò lentus cantabit arator,
Suſpenſoque ferax requieſcet vomere tellus:
Nec ſteriles denſis horrebunt ſentibus agri,
Sed lætæ vndabunt paſſim ſine ſemine meſſes.

Quin

Digitized by Google

Quin etiam mites cultor mirabitur vuas
Incultis pendere rubis : gaudete Coloni,
Prodiga mox vltrò vobis feret omnia tellus.
Cernis vt ipſa modò exultat Natura Puello,
Pubenteſque agris Zephyrus clementior herbas
Euocat, & vernos glaciali tempore flores ?
Pone metus : iam Mopſe ſacras attingere ſedes
Hoc duce, ſidereoſque licet penetrare receſſus.
Mop. *Dulce mihi canis, ò Corydon : vt ſole prui-*
Sic ſenſim è noſtro ſoluuntur corde dolores. (nx,
Sed dubia intermiſſa iacis mihi carmina voce :
Mens ignara ardet tenerum cognoſcere Numen.
Sic tibi fœcundis reuireſcant gramina prat's,
Singula, ſi quid agis, Corydon, ab origine pande.
Cor. *Nox erat, & trãquilla ſopor dabat otia terris,*
Cùm tacita denſa languent ſub fronde volucres;
Venatu inuigilans per amica ſilentia noctis
Secretas furtim latebras luſtrare ferarum:
Vnà aderat Damis; venando ſæpe ſolebam
Protrahere ipſe ſimul ſolidas cum Damide noctes,
Extemplò tremulo Bethlemica ſilua canore
Sibilat, ipſe ſacra mouit formidine frondes
Hermon, & viridi cecinerunt fronde volucres.
Aduentum ſenſere Dei, ſubmiſſus adorat
Iordanes, nudaſque iubet reuireſcere ripas,
Et circumiectis plaudentia ſaxa cauernis,
Ille puer Deus eſt, Numen confeſſa, ſonabant.
Viſi etiam inſoliti noctu concurrere ſoles

Et tenebras agitare dies: præſagus obibat
Rura nitor, luciſque ſpecus vibrabat honores,
Et latè longi radijs albeſcere tractus.
Mop. *Certè equidem audieram (hoc tacitus mecū ipſe voluto)*
Nocturnas per prata lyras; hinc dulcia circùm
Nablia, & inſuetos dulci modulamine cantus:
Obſtupui, & rerum penitus me cauſa latebat.
Quid facerem? neque ego pueros, nec Daphnin habebam,
Qui fuſas ſeruaret oues. Cor. *Quis, Mopſe cho-*
Quis plauſum illius noctis, quis gaudia fando (reas,
Explicet? auratis labens exercitus alis
Cælicolum, roſeo diffundens gaudia vultu,
Aethere ludebat vacuo: ſua quiſque nitenti
Crura oſtro, & croceis dederat vincire cothurnis,
Et ſaturo ambroſios humeros argentea ſucco
Velabat chlamys, atque ardentibus aſpera gemmis,
Quotquot diuitibus turget Pactolus arenis.
Verberat hic citharas, hic pectine gaudet eburno
Diſtinctas animare lyras auro, atque argento,
Melliflua hi reſonis ſociantes carmina neruis,
Argutis liquidas mulcebant cantibus auras:
Hi geminant Puerum, Puerum reſonabilis Echo
Reſponſat, Puerum fontes, & concauus amnis,
Intonſi montes, atque ipſa arbuſta canebant.
Interea Superum Princeps formoſior Ales
Ante alios citharaque potens, & luce decorus,

Quæ

Quæ circum roſeos radiabat plurima vultus
Criſpatiſque micans auro ludente capillis,
Quos internexum violis diadema coërcet,
Aduolat, arua petens: primus me, multa pauentem,
Erigit ambroſio fundens has gutture voces.
Tum verò nemus argutum poſuiſſe videres
Murmura, ieiunas pecudes modulantis ab ore
Pendere, & ſuperis præbere ſilentia verbis.
O Pueri reuocate animos, ſecludite curas,
Candida Pax iam rura colit, iam deſinit ætas
Ferrea, naſcuntur miſeris noua ſęcula terris.
Ipſe hominum cuſtos, rerum cui ſumma poteſtas,
Ipſe Deus veſtra, Pueri, ſub imagine, pauper
Bethlemis ſub rupe caua, de Virginis aluo
Naſcitur: in paleis pignus venerabile Mater
Edidit, & gelidis cunabula ſtrauit in antris.
Quare agite, ite citi: gracili nunc ludere auena,
Et calathos onerare roſis, & cingere frontem,
Et lubet aureolis prætexere floribus antrum.
Ite citi. Quis Mopſe Deo parere vocanti
Ambigeret? denſis è ſaltibus erumpentes
Negligimus caſſes, pedibus ſpes addidit alas.
Quis mihi tunc teneri viſendi Numinis ardor!
Euros vincebam curſu, dum ſaxa petebam.
Hìc Matrem aſpicio: ſuperans candore liguſtra
Virgineo reſupina ſinu ſub rupe Puellum
Blanditijs refouet: dulci mox carmine ſomnos
Allicit, & puerum amplexu ſolatur egentem.

In-

Indiget hic, ſed rura beat, ruriſque colonos.
Per crines aurum, fulgent per lumina ſoles:
Sunt Hyblæa roſeta genæ, ſunt lilia vultus.
Tunc noſtro dedimus ſilveſtria munera Amori,
Auritos lepores, ramoſos cornua ceruos.
Mop. *Fortunate ſenex! ergo venerabile Numen*
Cernere, & aureolis tibi contigit oſcula plantis
Figere? iam nobis amor eſt inuiſere rupem:
Fortunate ſenex! tuguri ſic limina vaccæ
Vberibus repetant ſiccis, ſic ignis ariſtas
Corripiat, Puer hic toto ni charior auro eſt.
Cory. *Vidi etiam noſtros vicino in limine rupis*
Paſtores leuibus deducere carmen auenis,
Et certamen erat: Muſis pergratus Iolas
Alternos cœpit cum Daphnide ludere verſus.
Iol. *A te principium noſtræ, Puer alme, Camœnæ,*
Supprimite arguti paulùm vaga flamina venti,
Dum cano, ne Pueri rapiatur Muſa per auras.
Daph. *Virginis in laudem ducũtur carmina; Virgo*
Dum canitur, ſtent circùm auidis volucreſq; feræq;
Auribus, & raucos frenent cita flumina curſus.
Iol *Et me Pupus amat, riſu cognoſcere Iolam*
Iam cœpit, nobis rutilantia lumina flectens,
Lumina, nam teneros religabant vincla lacertos.
Dap. *Virginem amo ante alios, vlnis nã ſæpe vo-*
Suſtulit, & nobis porrexit ad oſcula Natum, (lentē
Hic tacito arridens ſuſpendit verba labello.
Iol. *Qui legitis violas, & poma caduca per agros,*

Ex-

Excutite Infanti ſelecta ex arbore mala,
O Pueri, & plenum depingite flore caniſtrum.
Daph. *Iã præmiſſa meis ſunt parua exordia donis:*
Quod potui, ipſe meis manibus ſpumantia lacte
Pocula bina tuli, & teneros donauimus hœdos.
Iol. *Inuitus ſpelunca tuo de limine ceſſi;*
Ceſſi, ſed mea corda iſtic, animumque reliqui.
Da. *Virgo, noſter amor, pulcherrima, cũ mea clau-*
In ſtabulis armenta, pedem referemus ad antrũ. (dũ
Iol. *O mihi quã pinguis taurus per prata vagatur!*
Aſt eadem pecoriſque duci, pecorique voluptas.
Daph. *Dum per teſqua vagos Daphnis ſectabitur*
hœdos,
Semper in humidulis Virgo cœlabere trũcis.
Iol. *Ah! nimiùm vereor, Puerum ne frigora lædant:*
Parcite lacteolis crudelia frigora membris.
Daph. *Virgo fouet Puerũ, Puerũ dũ Virgo fouebit,*
Nil brumam, aut Boreæ curamus frigora, Iola.
Iol. *Somne veni; lacrymis turgeſcũt lumina Amo-*
Huc ades, atq; oculos dulci vincito ſopore. (ris:
Daph. *Parcite nectareos mugitu rumpere ſomnos,*
Eſte procul rauci, ſiquis pudor, eſte iuuenci.
Cory. *Hæc Pueri ad ſolẽ cantant, certãtq; viciſſim,*
Cùm verſus vltrò meditatos addit Amyntas.
Amy. *Si Puer abrupto ſecretus naſcitur antro,*
Prata huic parturiunt munuſcula: ſponte per agros
Roſcida mella fluunt: ſtillant opobalſama pinus,
Flauaque de trunco ſudant electra myricæ.

Duci-

Ducite Paſtores noua munera, ducite Regi.
Sponte vireſcit ager, puerique excitus Amore
Parturit & ſegetes, paſſimque argentea granis
Lilia puniceis vernant: ſi pupus in antro
Albicat, & niueas ſuperat candore columbas;
Inficit ora color rubeus, nec pictus Adonis
Murice, nec tantùm Pæſtana roſaria flagrant.
Ducite Paſtores noua munera, ducite Regi.
Delet & ipſe ſuos gemitus Hyacinthus, & ai ai
Flebile deijciens, folijs inſcribit, IESVS.
Nec gemebunda cauis Narciſſum quæritet Echo
Vallibus, & querulis iteret mihi vocibus eheu:
Sed pueri quoniam ſurgunt de corpore flores,
Candiduli flores, queis, nec ſine vulnere floris,
Effuſus notulas inſcribet ſanguis, IESVS;
Vallibus ipſa Echo reſonet mihi Nomen, IESVS:
Ducite Paſtores noua munera, ducite Regi.
Cory. *Hæc memini: at medium iam ſol contingit Olympum*
Mopſe, & humi ſaturæ ſeſe ſtrauere capellæ:
Quare age Bethlemicū greſſus flectamus ad antrū.
Mopſ. *Ipſe prius tuguri, breuis eſt via, culmina viſam,*
Inde vuas referam, preſſique coagula lactis,
Hædumque vberibus pulſum, noua munera Regi.

✣ ✣ ✣

DE FV-

DE FVGA
B. VIRGINIS
IN AEGYPTVM.

ECLOGA SECVNDA.

Daphnis, & Palemon.

APricum in tumulum feſſos proiecerat artus
Daphnis, & ingrata lenibat mēbra quiete,
Florentē quà terra torum ſubſtrauerat her-
Vicini & nemoris ſalices afflauerat aura (bis,
Mollior, & rauco ſerpebat murmure riuus.
Laſciuæ hic cithiſum per pabula læta capellæ
Attondent, auidi populantur prata iuuenci,
Decuſſiſque leues inſultant floribus hædi.
At Paſtor Pueri diuinos hauſerat ignes,
Flagrabatque æſtu indomito : ſuſpiria tantùm,
Et nomen ſolamen erant : damnauerat arma
Venantum, lentumq; arcum, clauſamq; pharetram,
Ludibrium Zephyro, arguta ſuſpenderat Orno:
Nec iaculum torquere iuuat, nec figere ceruos ,
Nec ſcrutari auium nidos : mens anxia oberrat
Lacteolo in vultu Pueri, nomenque beatum
Fatidicæ incidit monumentum in cortice lauri,
Et querulos iterat cantus : vos carmina ſiluæ

Audi-

Audiſtis, teneroſque vnà gemuiſtis amores.
Ille vbi conſpexit pecudes per prata vagari,
Carmina tentauit calamis: vernantia muſco
Antra ſonãt, nemus omne canit, referũtque Napææ
Murmura, & effuſæ vocis ſubſultat imago.
Da. *Matris Amor, matriſq; dolor, Puer auree, vita*
Carior, & mihi ſpes miſero, dulciſque voluptas;
Qualẽ ego te hoſpitio excepi, quàm viuida vultus
Fulgura viſceribus ſenſi, quas pectore flammas!
Spargite, Paſtores, latices, ardentia lymphis,
Frigidulis lymphis ſopite incendia cordis.
Qualem ego vagitũ audiui! quàm dulcè ſonabat!
Vt mihi lymphato mentem prædatus adegit
Dulces in furias! thuris reuocate vapore
Externatum animum, teque ò mea cura ſequentẽ.
Si fles, ipſe fleo: criſpas ſi lumina riſu,
Corda mihi exiliunt, ſpinoſæ è pectore curæ
Diffugiunt, ceu ſole fluunt de monte pruinæ.
Feſſa vbi paulatim claudit tibi lumina ſomnus,
Rura tacent, languetq; nemus: non fluctuat arbor,
Non auium vaga turba ſtrepit: de rupe cadentes
Spumant, ſed taciti frenant ſua murmura fontes.
Nec ſtabulis armenta gemunt, nec ſtridet auena,
Et nullos audit paſtorum quercus amores.
Dormi Amor ò Superum, formoſe Puellule dormi.
Te modò camporum teſtor Mareotica pubes
Per capreas, per ſiqua tuis in ſaltibus errat
Cerua fugax, Pueri ambroſium ne rumpe ſoporem.
Aſt

Aſt vbi rupta quies, oculoſque ad ſidera tollis,
Sidera quàm tremulo ſcintillant lumine, & optant
Per cunas radiare tuas, terriſque morari!
Nocte fluens ſomno, cæloque aduecta ſereno
Luna per aſtriferas argentea labitur oras.
Diffugiunt nubes, gaudet nox æthere picto
Crinitas iactare faces, & ludere flammis,
Et monſtrare viam hoſpitibus ſub lumine cæli.
Vos modò, dum cælum faculas, dum gramina tellus
Sufficiunt, Puero, Matrique roſeta Napææ
Spargite, defeſſo date florea ſerta Puello,
Et violas calathis, & lilia fundite ciſtis,
Fundite odoratas Phariæ per compita frondes.
Hæc Daphnis: tremulis reſpondent vocibus hædi.
Interea triſtis nemoroſo è colle Palæmon
Accelerat greſſum: iuuat hunc audire loquentem.
Pa. *Daphni, nec inuideo, recubans in ceſpite, ſiluis,*
Et Muſa frueris: cantas, quæ Tityrus olim
Luſit, & indociles docuit reſonare myricas.
Nos miſeros fortuna premit, calamoſque loquaces,
Aut carmen libaſſe piget: ſtant fuſa pruinis
Corpora lenta boum, pereunt in montibus agni
Frigore, ſæpe lupus clauſum populatur ouile.
Ex quo nam immeritò genitricem fata tulerunt
Chlorida, in armentum veluti bacchatur Erinnys,
Exitiumque parat: truculentus turbo malorum
Vulnerat & ſegetem, & myrtos, viteſque nouellas,
Et matrem. Quis te rapuit dulciſſima Chlori,

Chlori

Chlori mihi quondam requies, ſpes vnica ruris,
Nunc labor, æternuſque ægro ſub pectore mæror.
Non ita decuſſis macie attenuatur oliuis
Turdus, vel, Legulus reliquas vbi ſuſtulit vuas,
Macreſcunt lepores; vt tabidus ipſe pererro
Hæc nemora, & rapidis iacto mea verba procellis.
Da. *At mihi, Daphnis ait, fortunat Numen agellos,*
Telluſque Infantem Dominum gauiſa coronat
Floribus hibernis paſſim, & beneolentibus herbis.
Nonne vides quàm lætus ager? quàm lętus in herba
Procubui? Deus hæc nobis Deus otia fecit,
Et faciet Puer ipſe Deus, cui rura laborant,
Et myrtos teneras, & amantes carmina lauros,
Et volucrum nidos, & florum mille colores,
Et dudum hortenſi mites ex arbore fœtus.
Ipſi etiam armentum pingui laſciuit in aruo,
Et ſaturæ mammas diſtendunt lacte capellæ:
Et quæ conciliat tauros, animabitur vni
Fiſtula, vox vnum modulabitur. Inde Palæmon,
Miror, ait, quiſnam iſte Deus, qui gaudia vexit
Agricolis, ac rura beat. Verùm incipe Daphni,
Si ceſſare potes, rerumque abſcondita pande.
Da. *Ille refert: Genitrix Virgo ſociata marito,*
Aureolum geſtans puerum, refouenſque lacertis,
Hàc tentauit iter, noſtroſque hic attigit agros,
Crudeles fugiens terras, ſæuamque furentis
Herodis rabiem, Pharias properabat ad vrbes,
Tutas vt profugis latebras Aegyptia tellus

Pande-

Panderet Hermopolis ſecretos vallibus hortos,
Sedula vbi arboreos fœtus Pomona miniſtrat.
Tu quoque Bethlemicas clades, luctuſque colonum
Audiſti, quemnam lateant ea iuſſa Palæmon?
Pal. *Audiui, ò Daphni, & cædes narrabat Iolas,*
Vt primùm trepidos greſſus referebat ab vrbe:
Et mihi, ſi neſcis, pauitantia perculit horror
Pectora, noſtri etiam cæſum luxere nepotem:
Luget adhuc Rachelis ager, riuique cruore
Triſte rubent, lugent tot ſtrata cadauera Nymphæ
Bethlemides, tumidum quot Syrtibus æquor arenas
Aggerat, autumno frondes aut decutit Eurus.
Quin his carminibus puerorum funera ſæpe
Haud calamos inflare rudis defleuit Amyntas.
Dicite quæ colitis Nymphæ Bethlemides agros,
Et molli faciles luſus agitatis in herba,
Aut premitis patrias circùm lætiſſima ripas
Gramina, non vnquam glacie violata, nec æſtu,
Sed ſemper tenero paſſim vernantia flore,
Quis dolor, ah pietas! quis vos per prata tenebat
Mœror, vbi hoſtili reboabant antra tumultu,
Vndique attonitis fulgebant montibus enſes?
Tum credo inuitæ ceſſerunt frondibus vmbræ,
Et Fauni hircipedes tutos petiere receſſus.
Atque fugæ deerat vobis locus: horrida tellus
Tum puerum ſaturas produxit ſanguine fruges,
Quos furor armatus Regis, Bellonaque ferro
Meſſuit, & multo fœdauit funere campos,

Meſſuit in matrum gremio, ceu turbo hyacinthos
Verberat, inque vdo proſternit margine riui,
Naïadum triſtes fletus, fontiſque dolores
Illos carminibus Rama deplorat amaris,
Et nemora, & patrij ſaltus, & flumina lugent.
Ah quòties armenta gemunt, gramenque recuſant,
Siccaque fœtarum lambunt ſine lacte parentum
Vbera balantes agni! proiectus in herbam
Ipſe etiam patriæ queritur ſine fine labores
Paſtor, inæquales calami per gramina fracti
Fortè iacent, tacitæ ſuſpirant flamine ſiluæ
Turbinis ingrati, & platanus ſine carmine marcet.
Sed mihi quod ſupereſt memora de virgine Daphni.
Da. *Ergo, ait, vt noſtros virgo peragrauit agellos,*
Oh quos ſidereo vultu iactauit honores!
Protinus aduentu Diuæ glomerata recedunt
Nubila, clareſcit puris Aquilonibus æther,
Exoriturque decor vernus, floreſque nouelli
Inter, frigoribus ſpretis, riſere pruinas.
Qualem ſæpe vident Auroram è gurgite montes
Surgentem, & roſeo exhilarantem lumine terras;
Talem Virgineam campos & ouilia Matrem
Noſtra peragrantem, candentiaque ora rubore,
Perfuſam æthereo noſtri videre bubulci.
Quà Diua incedit, tellus cum gramine flores
Parturit, & pedibus gradientis ſternitur vltrò
Molle iter, & quà preſſit humo veſtigia, ſponte
Erumpuntque roſæ, atque argentea lilia ſurgunt

Hic

Hìc ego præcipiti per aperta noualia lapſu
Ante omnes rapior, plantis amor addidit alas.
Vt vidi, obſtupui: cæleſtia Numina vidi,
Verbaque Cælitum cupidis his auribus hauſi,
Vagitus Pueri dulces, & pectoris ignes
Virginei, & quales interſerit illa querelas:
Gnate, ſatis contempte tibi, ſed cognite matri
Ve! miſeræ, quæ vincla Deo, quæ carbaſa cunis
Apto tuis? rutila ſemper Thaumantide cincte,
Nunc laqueis captiue tuis, quibus hoſpes ab oris
In ſtabulo illacrymans hominum meditaris amores,
Hauriſque aſſiduo genitricis pectora fletu?
Hic Puer arriſit matri formoſior aſtris,
Chlòride floridior, Pomona ditior, alma
Gratior Aurora, Iordanis purior vnda,
Infans, ſed ſine labe Deus: non obruta virtus
Paupertate latet, ridet clementia vultu
Ambroſio, fuluoque caput deſpumat in auro,
Lumina ſideribus certant, duo fulmina cordis,
Lacteolis Aurora genis, ſol ludit ocellis,
Inque comis violæ, vernantque corallia labris.
Maieſtatis honos frontem decorabat eburnam,
Et mille arridens oculis vibrabat amores.
Hæſimus attonitis ſimiles, mox agmine facto
Ruſtica dona damus, niuei carcheſia lactis,
Et florum calathos, omnique ex arbore fruges,
Seruatoſque diù dulces de vite racemos.
Præterea paruam volucrem, leporemque fugacem,

Quęque gerò ipſe animum: tu munera ſuſcipe, dixi,
Namque amo te, mea lux; noſtris nec cedo colonis;
Nullo igni, nulloque alio mox tangar amore.
Hæc quercus mihi teſtis erit, cui pectoris ignes
Credo mei, libro incidens; vt carmina ſæpe
Perlegat in rigido durantia cortice paſtor.
Cùm mihi ſudabunt humiles electra geniſtæ,
Aut roſa vere nouo montana erumpet ab alno,
Aut ſcelus Iſmarium taciturna ſilebit Aëdon,
Tunc Daphnis pueri IESV violabit amorem.
Hæc Daphnis memorat, rurſus rogat ipſe Palæmō:
Pa. *Fortunate nimis, cui tot ſpectacula Diuum*
Vſurpare oculis licuit. ſed ruſtica pubes
Nonne etiam rurale aliquid modulata Puello eſt?
Et Puer ipſe Deus cantari dignus, & ægro
Carmina ſi referas, mihi curas Daphni leuabis.
Ille addit: Muſæque decus, ſiluęque voluptas
Tityrus, vt florum nimbos transfundit in vlnas
Virginis, & curuo veneratus poplite Regem,
Inflare occæpit buxos, queis ſæpe canebat
Diuorum laudes, & bella tonantia Regum,
Ac tale infanti deduxit carmen Amori:
Paruulus hic Deus eſt ſuperi regnator olympi,
Dumque colit terras, pueri date ruris honores,
Ruſtica formoſo tumulentur munera Regi:
Paruulus hic Amor eſt, ſuperū inflammator amorū,
Venaturque animos: pueri date cordis amores,
Flammea ſolicito cumulentur munera Amori.

Quiſ-

Quiſquis hic eſt, Amor eſt: ſenſerunt rura ſagittas,
Et dulce imperium ſiluæ, ſanéſque furores
Agricolæ, ipſa etiam rapiunt armenta fauillæ.
Aſpicit hic campum? ſpernit ſua pabula ouile,
Ieiunæque ſtupent felici in gramine vaccæ.
Reſpicit ad ſiluam? fractæ poſuere procellæ,
Et lenis tantùm Zephyrus per prata vagatur.
Aſpicit hic montem? nutant in montibus orni,
Perque nemus volucrum reſonis ſtrepit aura Camœnis.
Reſpicit ad vallem? capræ, ceruique volantes
Currunt ad Pueri prætergredientis odores.
Aſpicit hic fluuium? remorantur flumina curſus,
Curuaque præcipites ſaliunt ad littora piſces.
Quicquid id eſt, Amor eſt, & nos ſectemur Amorem,
Noſtraque formoſo cumulemus munera Regi,
Deuotos animos olim dedamus Amori.
Vota hæc non renuit, iã acceptat munera IESVS.
Tityrus hæc ludit, diſcunt modulamina ſiluæ:
Carmen adhuc ſilua, Zephyro plaudẽte, loquuntur,
Et rudibus Pueri narrant, & Matris amores.

DE CAEDE

INNOCENTIVM

ECLOGA TERTIA.

HAud ſatis ſciam, debeant ne purpuraſcere potius, an lacteſcere lacrymæ illæ, quibus hodie Bethlemis floſculos irrigamus: & lacte nimirum foueri gaudent, & ſanguine flores Martyrum candidi ſimul, & rubicundi. Sed quorſum lacrymæ, quas nimirum nec ipſi merentur, nec nos debemus? Licet enim areſcant ſtatim flores cæteri nimium breues, niſi ſæpius irrigentur; Amaranthi tamen æternitatis, licet è gleba matre falce mortis exciſi, colore quidem ſuperſtite ſemper viuidi ſuo ſibi ſunt in ſanguine immortales. Gratius ergo fortaſse fuerit noſtris floſculis, vt quoniam potu non indigēt lacrymarum, eorum potius odores, poëtico Zephyro ventilatos, recordatione annua, veluti reſpiratione, captemus.

✠ ✠ ✠

Tity-

Tityrus,& Melibœus.

IAmdudum roſeos Sol maturauerat ignes
Altior, & medio vibrans incendia ab axe,
Graminaq; & gelidos torrebat feruidus amnes:
Cùm paſtas pecudes ad amicas Tityrus vmbras
Duxerat, vt medios pecori defenderet æſtus.
Eſt vallis, quam Iudaicis complectitur umbris
Lucus iners, patulo qui ſemper tegmine Soles
Excludit, viridemque ſinum telluris opacat.
Intus dulce ſtrepunt inter virgulta loquentes
Cum zephyris volucres, & amantes rura cicadæ.
Populus hic, platanuſque, abies, & pinus, & ornus
Mutua conſertis nectentes brachia ramis
Texebant gratam pecori, ac paſtoribus vmbram.
Subter inæquali ſpumans argenteus vnda
Iordanes ſaxoſa inter luctamina ſæpe
Garrulus irritat fractos ad murmura fluctus:
Iordanes virides herboſo margine ripas
Semper, arundineiſque tegens ſibi littora ſiluis.
Huc potum paſtas vbi Tityrus egerat agnas,
Interea ipſe dolens fluuiali in margine ſedit
Mæſtus, & irriguo miſcens ſuſpiria flatu
Dulcis aquæ riuos lacrymis augebat amaris.
Quin dulces lacrymæ, ac ſuſpiria dulcia mæſto
Arrident; amneſque, & prata, & germina ſordent;
Delicias ruris calamos poſt terga ſilentes
Negligit: ipſa auium Siren Philomela dolenti

Triſte canit. Non ille pecus, non ille Camœnas
Curat: amat ſolis ſibi plorans ſolus in umbris
Exonerare animum, & tales expromere queſtus.
Hic iuuat umbroſæ per opaca ſilentia ſiluæ
Promere iamdudum clauſos ſub corde dolores.
Vos ò Bethlemis non inſcia ſaxa, ferarum
Vos genus omne, meiſque aurita cauerna querelis,
Et quæcumque meos audis miſerata dolores
Silua, ſuſurranti ſuſpirans fronde ſub auras,
Has lacrymas ſociate, meaſque iterate querelas.
Funere crudeli nimiùm deflemus, acerbo
Heu nimium fato raptos Bethlemis amores,
Deſine vicinis poſthac Philomela ſub vmbris
Flere tibi ereptum fictis iam cantibus Ityn:
Ecce nouos præbent Bethlemica funera queſtus,
Hic potius ſocias mecum tibi ſume querelas,
Scinde tibi virides lugens mihi ſilua capillos;
Flebilibuſque diu mærens hyacinthe figuris
Dele tuos folijs gemitus mutatus; & ægris
Scribe notis mæſtos puerorum ſanguine odores.
Funere crudeli nimiùm deflemus, acerbo
Heu nimiùm fato raptos Bethlemis amores.
Audijt hos gemitus vicina in valle recumbens
Fortè gregis ductor Melibæus, & aure ſequaci,
Quà ſonus ipſe vocat, greſſus ad murmura flectit.
Aſt vbi deflentem procul aſpicit; ecquid in umbra
Tityre? quid dolor iſte nouus? ploraſque gemiſque
Solus, et has didiciſſe doces ſuſpiria ſiluas

Non

Non prius hic audita: tuis mihi fletibus Echo
Fleuit adhuc, docuitque meas cum greſſibus aures.
Tit: *Hei mihi! quid dolor iſte,rogas? lacrymabile*
Tẽpus eget; miſeros iuuat indulgere dolori. (plãctu
Ne lacrymis dent ora modum, ne lingua querelis,
Dum mea inexhauſto turbatur patria luctu.
Meli: *Pone modum tamen his lacrymis, & vul-*
nera cordis
Iam repone: aſt patrij quænam cauſa iſta doloris?
Pande precor: curas fando exonerare, leuamen
Dulce olim eſt miſeris, ita fit dolor ipſe voluptas.
Tit: *Heu Melibœe! tuas nondũ peruenit ad aures*
Bethlemis ſcelus, & nunquam exaudita Tyranni
Barbaries ſæclis nec plus metuenda futuris;
Sanguine tot puerum, & vagitibus inſcia flecti,
Inſcia molliri lacrymis, & lacte parentum?
Quis locus, aut quæ ſilua eius non plena furoris?
Vndique Bethlæis latè turbatur in agris:
Luctus vbique, & vbiq;dolor: quæ rura, quis vrbis
Angulus immunis ſtragis vacat, atque cruoris
Aridus innocui? cædes iacet horrida in aruis.
Sanguine prata rubent, & miſtæ ſanguinis igne
Bethlęæ caluere niues. Heu fata puellis
Impia, iniqua nimis, crudelia, dira! recuſat
Lingua iterum, inuitis depromere faucibus, ipſe
Quod nollet meminiſſe animus, menſque ipſa
refugit.
Aſt quoniam Melibœe iubes renocare dolorem

Ra-

Rachelis dominæ, cuius pecora ipſe guberno,
Fanda (nefanda magis) dictuque indigna reuoluam
Funera, vel lacrymas oculis ſuaſura Britannis.
Poſtquam barbarico puerilis ſanguinis oſtro
Tingere purpureum dorſi regalis amictum
Bethlgo ſedit ſententia dira Tyranno;
Haud mora, plus rabie, quàm ferro armata iuuctus
Intentat paruas per grandia vulnera mortes:
Tot pueris, quotquot binis lactabat ab annis
Felix maſculeo mater Bethlemica partu,
Si nondum peperiſſet adhuc, felicior. Ergo
Iam luſtrare domos miſero per mœnia cenſu,
Perque ſuburbani confinia proxima ruris
Vndique miles adeſt, & ahenis ipſa ſubarmis
Barbaries, furijs comitata ſororibus, vltrò
Vrget opus, gladijſque ſitim dat habere cruoris.
Nempe canes velut in lepores, catuloſque ferarum
Venatrix agat impietas; ſic cæde iocatur
In pueros: & erant teneræ ludibria mortes.
Quin ceu ficta oculis ludant ſpectacula; matrum
Sæpe irridentur lacrymæ, & non vna dolendi
Norma, vnus quam dictat amor: ſæpe vbere aperto
Fata ſuo genitrix nimis immatura puello
Vt redimat, penſetque ſuo vel funere vitam;
Offert maternum matura ad vulnera pectus:
Regia fœmineum ſed non ſitit ira cruorem.
Parte alia ſine lege furens audacia matrum
Maſcula, militibus luctando obſiſtit: at illæ

Mor-

Morſibus incantæ certant, atque vnguibus: illi
Ferro vulneribuſque; nec arma paueſcit inermis.
Sed muliebre valet tela inter Martia robur,
Quantũ fortè lupis dicunt venientibus agnas.
Inſcius ah quoties per prata virentia reptat
Dum puer in medijs, ceu flos, ſucciditur herbis,
Aut niueam ſugit dum matris ab vbere vitam
Purpuream vomit hoſtili de vulnere vitam!
Ah quoties, ſibi pendentem cum paruulus enſem
Cerneret, extendens feſtiuus brachia in hoſtem
(Credidit eſſe patrem fortaſſe) huic balbus, & vltrò
Ore renidenti ludens arriſit! at hoſtis
Barbarus, indocilis flecti, nil tale timenti
Confudit puero ignaros cum funere riſus,
Clauderet vt miſto fata immatura cachinno.
Illa ſtudet gremio, inuitum licet, abdere natum,
Quin vteri rurſum velit occultare latebris.
Sed quæ dictat amor mendacia matribus; hoſti
Ipſe puer latitans gremio vagitibus offert,
Inſontemque luit ſe indice, & indice culpam.
Sæpe etiam infandi ſceleris proh ſumma! propinquo,
Dum deprenſa dolet ſoluenda puerpera partu,
Carnificis premitur gladio expectante: virilem
Vix dedit hæc prolem fortaſſe enixa, parentis
Ante oculos parientis adhuc, è limine vitæ
Natus ad occaſum rapitur: quid naſceris infans
Ante mori expertus, quàm viuere? iam ſibi dura
Senſit inaſſueto teneреſcere pectora motu.

Miles homo , hinc ſecum ſubitò indignatus inerme
Exprobrat affectus , tædet miſereſcere, ſeque
Damnat de pietate reũ, & ne mollîat vltra
Improuiſa animum pietas, prius odit amorem,
Vagitus pueri ſimul inde trucidat, & artus.
Barbare, peccauit quidnam vagitibus infans?
Nempe quod eſſe pium docuit te fletibus, & quod
Suaſit inhumanas hominum molleſcere mentes,
Sit reus: aſt puero fuit excuſabilis error.
Vſque adeò grunnire ſui , quàm flere puello
Tutius eſt Solymis in finibus. ergo cruenta
Haud vllas ſine cæde domos, ſine ſanguine matres
Tranſmittit furor immunes: circum vndique pulſæ
Bethlææ indigno gemitu fleuere cauernæ.
Extimuit ſcelus ægra dies, properantior egit
Phœbus equos, medioque extinguens lampada curſu,
Damnauit gelidis puerorum fata tenebris.
Sidera non ſuetis errantia crinibus, atro
Lumine funereas dederunt ad funera tędas.
Nocturnus rores effudit largius æther,
Cunctaque cœleſti maduerunt funera fletu.
Sole ſed extincto, matrũ haud moriuntur amores,
Queis vana ante oculos amiſſæ prolis imago
Viuit adhuc, viuoque exaſperat vlcere corda.
Te premit ante alias pulcherrima matronarum,
Sed miſeranda Rachel, veteris ſtirps clara Rachelis,
Saucia quæ gemino puerorum funere mater,
Quos vno ediderat partu, fato ſimul vno

Per-

Perdidit. hinc diuiſa diu, materna viciſſim
Viſcera tortor amor lacerat; dolet hinc, dolet inde
Bis miſera, & gemino non ſufficit vna dolori.
Sola domum vacuam, dum queſtibus implet amaris
Itque reditque toro, cunabula pendula fruſtra
Veſtigans oculis, manibus quæ ſæpe agitarat,
Cùm faciles pueris ſuaderet nenia ſomnos.
Vagitus nempe aſſuetos audire gementum,
Grataque balborum faſtidia iam prope credit,
Plenaque imaginibus puerorum ſomnia fingit
Auribus, & vani mendacia ludit amoris.
Sic vidua implumes Philomela ſub arbore pullos
Ereptos deflet, ſilueſtribus ipſa querelis
Hoſpitium infidum, laribus violataque iura
Exprobrat, increpitans malè dulci iurgia cantu.
Haud aliter per tecta ſonant lamenta Rachelis.
Aedibus at vacuis claudi non paſſa dolorem
Ipſa ſuum, ſulcata genas, laniata capillos
Bethlæos animoſa viam molitur ad agros.
Plurima vbi eductos genitrix decepta puellos
Perdidit infido malè credula nempe Tyranno.
Nocte ſub obſcura, tacito dum ſidera cælo
Euigilant; graditur Rachel ſibi ſola per umbras,
Ancipites greſſus nec nigra pericla retardant:
Scilicet haud muliebrè timet, cui pectus obarmat
Matris amor, ſociuſque dolor comitatur euntem.
Ergo ad confuſos ſtragis puerilis aceruos
Vt ſtetit ægra; diu indigeſta cadauera verſans

Ipſa

Ipſa cruenta ſuos fruſtra rimatur amores:
Plurima nempe negat cędes, ſua viſcera, natos
Heu miſeram! ignotos ſecernere; ſępe puellis
Haud fortaſſe ſuis, incertiſque oſcula truncis
Lambit, amans proprios alieno in pignore partus.
Quid faciat noctis dum ſic illuditur vmbris?
Nec materna datur ſaltem perſoluere natis
Officia, aggeſtos puerilis cędis aceruos,
Et ſit certa ſuos pariter veneratur amores:
Hic lacrymas lacrymis, ſatiatque dolore dolorem.
Sed ſilet illa tamen: nexu nam vincta doloris
Lingua ſtupet, medioque ſonos interficit ore.
Donec iam domitis tandem ſingultibus, arua
Alloquitur, miſeris non reſponſura querelis.
O Cœlum, ò tellus audite; ò queſtibus aſtra
Surda meis geminę ſobolis poſt fata ſuperſtes
Mater adhuc viuo? aſt quoniam ſum viua dolori,
Vt doleam, prȩſtat iam viuere. Siccine? ſic vos
Mater amo; vt vixiſſe velim, valeamque? Nouerca,
Bellua, iniqua, excors. Ignoſcite vulnera cordis
Bina mei. atque vtinã abrupto mihi carcere mortis
Huius, ad amplexus raperer per funera veſtros.
Sed toleranda foret mihi vita inuita; daretur
Si ſatiare oculos, & fallere poſſe dolorem
Inferijs, patrioque artus tumulare ſepulchro.
Corda mihi interea ſint viua ſepulchra doloris,
Dum vetor hanc veſtris animam exhalare labellis.
Ah quid verba iuuant? nempe hinc ſuſpiria matres

Fun-

Fundimus, & lacrymas; vos matribus inde cruorē?
Tu tamen ò Puer, ò potiùs metuende Tyranno,
Quam metuens (vbicūq; lates) cui victima proles
Noſtra cruenta dedit; matris miſerere dolentis
Diue infans: aliqua eſt etiam tibi Mater, alumno
Et tibi materni ſtillantur ab vbere amores.
Plura velit, ſed plura vetat dolor, vtque iacebat
Fixa ſolo genibus, ſubter tremere arua repentè
Sentit, & è calido puerilis cædis aceruo
Miſsilibus victam radijs albeſcere noctem.
Inde cruor veluti clamans ebullijt, & vox
Eſt audita gemens, & vox fuit illa cruoris.
Vt quid adhuc ceſſant cælo pigra fulmina? dormis
Summe vltor ſcelerum? turba ecce iacemus inulta.
Vindica humo fuſum noſtra de cæde cruorem.
Vix ea: voxque polo hæc redit. Expectate parūper
Felices animæ; breuis eſt mora vindicis iræ:
Candida ſors donec fratrū numerū impleat omnem.
Interea geminos puerili in imagine ſoles
Aſpicit, agnoſcenſque ſuos Rachel, velut icta
Fulmine lætitia obruitur: perferre dolores
Quæ potuit, patitur vix gaudia: deinde loquentes
Audijt, aut audiſſe putat: tibi viuimus ambo,
Viuimus, eſt lucrum natos ita perdere: noſtrum
Funus ama; vnde tuus regnet ſuper æthera ſanguis.
His gauiſa Rachel, mœret tamen, vlcera nempe
Viua animi quamuis pro tempore lenijt; at mox
Victa nequit conſolari, quia pignora non ſunt.

DE

DE
INNOCENTIBVS
PVERIS.

ECLOGA QVARTA.

Mopſus, & Amyntas.

PVrpureis redimita roſis Aurora rubebat,
Aureus & tremulo ludebat in æquore currus,
Excipiuntque alacres ſiluæ noua lumina, lætus
Ridet ager, placido ſiluæ ſtridore ſalutant.
Iamque renaſcenti pennas committere Soli
Gaudet auis teſtata diem: tamen vnus Amyntas,
Vnus mordaces voluens in pectore curas,
Mæret, & inſolito lacerat ſibi corda dolore.
Ipſi triſte gemunt volucres, florentia ſordent
Germina, lanigerum pecus, inuiſaſque cicutas
Negligit, atque abeunt mæſta in ſuſpiria ſiluæ.
Quid faciat? grauidæ reparant dum gramine matres
Vbera, multa gemens ad amantem buſta cupreſſũs
Sternitur: hic rauco ſtringit qui verbere ripas
Riuulus, excuſſum lacrymarum flumen ocellis
Ebibit, & querulo comitatur murmure queſtus.
Qualis cùm pullo noctis velamine Tellus

Con-

Contegitur, metuenda canit ſuper arbore Bubo
Omina, & ingrata diſpergit voce querelas.
Audijt hunc, pecudes vicino in limite paſcens
Mopſus, & infeſtis vlulantia fletibus antra.
Solicitus ſuperat ſepem, ſpeculatus ab alto
Proſpicit occulto laniantem viſcera morſu.
Exponit trans limen oues, greſſuſque ad amicum
MO. *Dirigit, & quid, ait, corrūpis lumina fletu?*
Proh qualem aſpicio? quiſnā dolor opprimit artus?
Iam reuocato animū, tuus aſpice vt hortus, Amyn-
Promat odoratas redimitus vere corollas: (ta,
Vndat adulta ſeges, volucrum per germina ſiluæ
Garrula turba ſtrepit, florentes veris honores
Ecce tibi populantur apes, tibi florida terræ
Munera ſumma metunt, & mellea dona laborant;
Parturiunt ſiluæ, pingues, tua cura, capellæ
Pinguia laſciuo concidunt pabula morſu.
Vt glaciem ſoluit Phœbus, ſic ſolue timorem:
Ver hiemem vt pellit, pellant ſic pectora curas.
AM. *Ah! prohibet nos, Mopſe, dolor cōcinna petenti*
Promere verba tibi: ſupereſt non vlla ſenectæ
Læta dies, vel grata meæ: mors vna dolorum
Meta, nec illorum veniet niſi funere funus.
MO. *Sed tamen ignaro pateat mihi cauſa: fideli*
Ingratos Mopſo iuuet exonerare dolores.
A. *Heu puer! heu chara mihi, blande puellule, vita*
Chare magis! nimium vereor ne barbarus enſis
Sæuiat in teneros (precibus non flectitur) artus.

C *De-*

Debueram ignauus, Regis cùm iuſſa tonabant,
Debueram, ſimul atque meas furor hoſticus aures
Perculit, occultas latebras tibi pandere rupis.
Te ſine quid veſcor vitali munere lucis?
O foret ille tuis vtinam, tuus ignis, Amynta
In ſtabulis! vos ò crudelia ſidera, teſtor,
Indomito quamuis circumuallatus ab igne,
Quamuis hoſtili confoſſus pectora telo,
Fida quidem exueret nūquam præcordia Amyntas.
Sed quid ego infelix nequicquam immitibus auris
Conqueror? at ſaltem vos ſi cæleſtia prata
Ille terit, Pueri, precor, hæc referatis ad aures.
Ergo mihi ſpes vana, & inania gaudia, nuſquam
Te aſpiciam poſthac? nunquam ruitura ſenectus
Figet amabilibus ſupplex ſacra oſcula plantis?
Tu mihi vita, Puer, fueras; tecum ipſe ſeniles
Solabar curas, ſine te mihi viuere mors eſt.
Te ſine quid veſcor vitali munere lucis?
MO. *Excutis & nobis lacrymas, ſed cōprime fletū,*
Comprime, nam ſuperanda tibi ſunt fata ferendo;
Haud noua fata vrgēt: dū Bethlem ad mœnia nam-
Heſterni prima Solis cùm luce ferebam (que
Venaleſque hœdos, & plenas nectare mulctras,
Quid memorē? meminiſſe piget, nec viſa, nec vnquā
Monſtra videnda mihi paſſim per compita cerno.
Luminibus ſubitò obijcitur ſeſe obuia noſtris
Mucronum metuenda ſeges, ſatianda cruore
Inſonti: trepidant tanto mihi corda pauore,

Et

Et gelidus tremefacta fugit per viſcera ſanguis.
Tunc ego, Cæleſtes, precor, hanc auertite peſtem.
Quod vidit nox cæca nefas, ſtragemque nefandam;
Oſtendit iam pura dies. per tecta, per vrbem
Audiui matrum gemitus, & pectore tunſo
Immeritas lacerare comas: vt naufraga quondam
Singultu Pharias fama eſt celebraſſe parentes
Pignora, cùm ſeſe infido committere ponto
Auſa, vadumque rubens denſis tentare maniplis.
Sic lacrymis vlulare domos, mugire querelis
AEthera, quæque ſuum matres iterare puellum.
Sed nullus valuit queſtus cohibere furorem
Militis, aut lacrymæ tantas extinguere flammas.
Vel diras potius tigres, aut corda leonum
Effera lenirent fletu, Stygiumue moloſſum.
Nam ferus exuerat deleta pace ſatelles
Extincta pietate fidem; lymphataque paſſim
Pectora & Herodis ſtimulis accenſa furebant.
Audito fremitu ceu bucula fortè luporum
Nequicquam matri pauidum latus applicat: illi
Sublata genitrice ruunt, vtramque frementi
Ore petunt, ſaturant rictus, & ſanguine gaudent.
Matribus haud lacrymæ, pueris haud profuit ætas:
Ac dum flebilium amplectuntur colla parentum,
Excipiunt inimicum enſem: per vulnera ſanguis
Purpurat, & matrũ lacrymæ cum ſanguine ſtagnãt.
AM. *Hos inter, mea vita, peris? quiſnã ille, quis auſus*
Ludere crudelis Pueri cum ſanguine miles?

Mo. *Silvicolæ ſcelus hoc etiam ſenſere volucres,*
Et tacitæ torpent nidis, pecudeſque virentis
Graminis immemores marcent, fonteſque recuſant.
Nectare non turgent quercus, non lacte capellæ:
Languida in aridulo moriuntur gramina campo.
Erexit ter ſilua comam, ter fluminis alueus,
Ter circumiectæ mæſtùm ſonuere cauernæ.
Am. *O quoties, memini, cecinit præſagus Olympus,*
Mõpſe, malũ hoc nobis! cum ſtella agitata fauilla
Corripiens, traxitque comas, perque æthera fugit,
Atque parum cautos ferali carmine ſæpe
Præmonuit fagi latitans de cortice cornix,
Cùm pecudes agerem potum Iordanis ad vndam.
Iordanis Pueri conſcriptas nomine fagos
Vidit, & arguto mea carmina murmure labens
Iuſſit Hamadryadas, noſtroſque ediſcere cantus.
Nunc verò heu! paſſim ſqualentia germina riparũ,
Atque pigrum, & tanto fœdatum funere cernit
Aëra, corruptoſque lacus, agroſque rubentes,
Triſte fluit, querulo lugens mea fata ſuſurro.
Mo. *Auxit (ſi neſcis) Regi timor anxius iram,*
Ira miniſtrauit rabiem: nam à Vatibus olim
Audierat, ſuperum noſtra ſub imagine Regem
Venturum, ambitos qui prædaretur honores,
Regia gemmiferis viduaret tempora ſertis,
Atque Palæſtino caneret de Rege triumphos.
Hoc metuens, puerum conſpergi ſanguine campos
Iuſſit, & infantum ſedauit morte timorem.

At

Attamen euentu furiæ caruere, Tyrannus
Incaſſum fremuit, Deus eſt, Deus ille Puellus.
A. *Dulce mihi tua Muſa canit, nā dulcior Hyblę eſt*
Nectare, & in viridi ſomno mihi mollior herba.
Phœbus vt ingratas rutilo fulgore tenebras,
Sic tua ſpinoſos detergunt verba dolores.
Neſcio quę miſero mihi ſpes per pectora ſerpit:
Si puer hic viuit, ridentes viuite ſiluæ,
Viuite, nobilius rident mihi lumina IESV.
Mo. *Viuit, io, viuit, nobis quoque riſit IESVS,*
Nos quoque Pupus amat, ridentes plaudite ſiluę.
Plaudite, congeminent reſonantia culmina Ieſum.
Am. *O nunquam mage læta dies! pręſepia vaccæ*
Vberibus repetant ſiccis, & flamma nouales
Corripiat, ni tota mihi lux charior auro eſt.
Ite procul vani, viuit Puer, ite dolores.
Hunc ego Bethlemica vidi ſub rupe Puellum;
Quem Virgo attonitas inter connixa capellas
Edidit, & Superum cantus, feſtaſque choreas,
Vidi etiam noſtros leuibus cantare cicutis
Paſtores, Pueroque nouos deducere verſus.
Hic veris viduatur honos, ſertiſque iuuentus
Aurea formoſi præcingit tempora Regis.
Fortunata ſeges florum, queis vertice ſacro
Contigit & rutilo decorari crine Puelli!
Sunt Pueri crines radij, ſunt lumina ſoles,
Sunt Hyblæa roſeta genæ, ſunt colla liguſtra:
Aurea Virgo Deum, violis formoſior ipſis,

Virgineo reſupina ſinu ſub rupe fouebat,
Illius & nobis dedit oſcula figere plantis.
Inde greges quoniam lux craſtina paſcere ſuaſit,
Diuino rediÿ iam munere onuſtus: at inde
Contigit infantis tibi, Mopſe, bearier ore?
Mo. *Ille meis profugus caulis ſucceſſerat hoſpes:*
Nam per rura meis defendens vitibus Auſtros,
Extemplò vineta ſuis decorata racemis,
Pomiferos cerno glaciali tempore ramos,
Electrum lacrymaſſe nuces, & balſama quercus:
Obſtupui, & monſtri me cauſa latebat, Amynta,
Cùm Puerum vidi, gremio quem Virgo fouebat,
Cui reſonabat ouans Superum comitata caterua.
Terra roſis, Puero prætergrediente, nouales
Induit, & Matris veſtigia condidit herbis.
Vt petijt caulas, regnauit vbique voluptas,
Caſtaneaſque nuces, & mellea dona paramus.
Aſt hoſpes ſupero cumulauit prodigus omnes
Munere, nuncque lubens noſtra ſub rupe moratur.
Am. *Melliferæ fugiant ſic triſtia bella cateruæ,*
Duc precor, optatas amor eſt inuiſere caulas.
Mopſ. *Illuc me referunt greſſus, properemus ad antrum.*

DIVI

DIVI XAVERII

CANCER.

ECLOGA QVINTA

Piſcatoria.

ARGVMENTVM.

LAudandorum Heroũ illud vnicum infortunium eſt, aut eſſe creditur, PP. RR. quod pares meritis haud inueniant laudatores. Quis enim audeat Poëta pygmæus, ſenis ſolummodò pedibus metiri Gigantem? aut infans Orator verborum periodo complecti tot facinorum vaſtitatem? ſed parte alia haud omnino ſemper vertendum eſt inopiæ laudatoribus, quòd ieiunæ quandoque laudationis macies extenuata gracileſcat. Cauſamur & ipſi ſcilicet infortunium noſtrum, quòd ingentem ſæpe, & iniquam viribus materiem nacti; inſuper etiam (quod iniquius eſt) ad breuitatem dicendi, definiti temporis anguſtijs coarctamur; vt ea comprehendamus ſemihoræ confinio, quæ vix clau-

duntur in gremio ſæculorum. Illud etiam, quàm infeliciter euenit vt ob materię granditatem, vix fortaſſe credendam, cogamur ſæpe vel mendaces laudatores videri, ſi velimus enarrare omnia, vel præfocare plura ſilentio, vt dictis, auditorum fidem conciliemus.

En præ manibus Xauerium Thaumaturgum, D. Thomę apud Indos Succeſſorem Apoſtolum; & muneri ſuffectum, & oneri ſuffecturum: hoc eſt in Orbe Indico ſuccollando, Atlanti ſuo non imparem Herculem; columnaſque Orbis terrarum plus longè vltra prætergreſſum. Eius iam laudes omnes, quia nefas eſſe duxi exornari à me poſſe pro meritis, ideò tot virtutum, ac portentorum congeriem admiratione venerans, ac ſilentio prętermittens, vni ſolùm Xaueriano Marini Cancri prodigio, piſcatorium carmen addicam: vobis verò Eclogę tenuitatem expectare ſat eſto, à tironis Poetę Mineruа rudi, ſed propria; quem nimirum nulla religio vetuit Maronis Silenum imitando ſequi. Quòd verò rem ipſam geſtam, ad extremum vſque carminis coniecerim, ac veluti obiter à Proteo decantatam, poëticè id feci, & conſultò: ſupereffluentia enim pocula, ac largè plena,

quę

quę citra effuſionis periculum anguſtis à faucibus exhauriri nequeunt; ſecuriùs planè ſolent, compreſſis paulatim labijs ſorbillari.

C A R M E N.

EXcita iam roſeis Aurora cubilibus, atros,
Tergebat digitis pigro de lumine ſomnos;
Et matutinis ditans conchylia gemmis,
Sparſerat Eoas pretioſis fletibus vndas:
Cùm vigil ipſe, meos pelagi ſub rupe morabar
Tyſandrum, & Daphnin, laceras vt vimine naſſas
Sarcirent, tereteſque marina fraude Meandros;
Queis de more dolis aptent humentia rurſus
Lintea, deceptoſque trahant è gurgite piſces.
Ergo diu feſſis ad ripam obtutibus hærens,
Tardantes pueros iterumque, iterumque vocabam.
Ipſe voco, ſed ſurda mihi per littora voces
Iactantur fruſtra, nil reſpondentibus vndis;
Et quæ ſæpe vdo ſcribuntur littore arenæ,
Haud vlla humani retinent veſtigia greſſus.
Hos dũ luſtro ſinus, nautæ mihi Thyrſis, & Aegon
Occurrere oculis ſcopuli de pumice; & inde,
Huc ades ò Lycida, clamant; quid littore quæris
Tyſandrũ, Daphninque? ambo, qua parte phaſelus
Veſter, arenoſa ſiccus requieſcit in alga,
Iamdudum vigiles ibi te, ac tua iuſſa morantur:
Nempe hìc æquoreo luctantur Marte procellæ,

Aſpi-

Aſpice vt vnda vetat deſcendere littore cymbas:
Aſt ibi, qua ſcopulis tutò amplexantibus æquor
Segnior vnda iacet, vocat aura ſecunda carinas,
Oceanuſque ſenex, ibi curuo pronus in antro
Lenit aquas: ibi iam pelagi cecidere tumultus
Sole nouo; ſciſſis quà frons aperitur Olympi
Nubibus: en choreas agitant Delphines in vndis,
Spondent ſquamigeras piſcoſa ibi cærula prædas:
En ea piſcatrix etiam ſecat æquora puppis
Alta petens, pelagoque imo trahit humida lina.
Mecum ergo his ſtimulis accenſi, impellere cymbam
Accelerant remis ſocii, & certare lacertis,
Dum faciles ludunt Zephyri, & pacata ſereno
Cærula criſpantur riſu: iamque æmula cymbæ
Cymba volat, plauditq; alacris per tranſtra iuuẽtus.
Aſt vbi piſcoſæ liquida ad confinia metæ
Anchora fundauit cymbam, pars lintea laxat,
Pars interuallis paribus pigra pondera plumbi
Librat aquis: hic corticeis fluitantia lignis
Subera diſponit, naſſas hic, atque rudentes
Aptat, & hic dapibus medicatis retia ineſcat,
Et labyrintheos oculato vimine flexus.
Lucifer interea iam fugerat vltimus axe,
Atque repercuſſæ Phœbea crepuſcula lucis
Vibrabant tremulas accenſa per æquora flammas;
Cùm mihi ſquamoſo circùm gens humida dorſo,
Carcere clauſa ſuo, atq; auido pars gutture ihærẽs,
Dum capiunt, capiuntur, adacto in viſcera ferro,
Spu-

Spumea lunatis ferientes æquora caudis:
Nempe dapes fruſtra, mentitaque pabula damnãs,
Extra vndas ſapit, at ſerò; & de ſtamine mortis
Pendulus, in vacuo dum palpitat aëre nudus,
Diſcit habere ſuas piſcis vel in æquore Parcas.
Dum ſic quiſque trahit malè cautos carcere piſces
Certatim, & prædis gaudet piſcator inemptis,
Fortè Aegon oculos Sanciani ad littora torquens,
Aſſiduo attritum fluctu, & ſpumantibus vndæ
Morſibus exeſum montis latus aſpicit; arcu
Pumiceo, & curui ſinuatum amplexibus antri:
Herba marina nigris circùm ambitioſa corymbis
Saxa tegit; vacuis vbi pendent oſtrea conchis.
In gremio molles feſſis dat littus arenas,
Quas refluo lambunt Thetidis ſalſa oſcula fluctu.
Huc Proteus gregis æquorei Dux, atq; Magiſter,
Callidus omnigenas Proteus variare figuras
Oris, & arcanas venturi aperire latebras,
Fortè piger, vacuo ſeſe proiecerat antro:
Serta iacent capiti delapſa, vbi lentus in alga
Feſſa ſenex placidę laxarat membra quieti,
Conciliant alterna maris dum murmura ſomnos.
Interea è ſtabulis pelagi, pecus omne natantum,
Vicina omnigenis complerat littora turmis.
Hìc Phocę, Thynnique leues, & grandia Cete
Preſſa giganteis claudentes æquora tergis,
Mulliq; , & Scombri, & Delphines, & apta ma-(rino
Monſtra ſatellitio, enſigeris pugnantia roſtris:

Pars

Pars choreas ludunt caudis, pars ſaltibus orbes
Agglomerant liquido, ſalſam pars littoris herbam
Ore petunt auido, indulget pars lumina ſomno,
Immenſaſque replent reſupino corpore arenas.
Ergo ſenem vt vidit Corydon ſub rupe latentem,
Flectere iter ſubitò, ſcopuliſque aduertere proram
Imperat, & tacitæ furtim ſuccedere rupi.
Læta igitur remis pubes incumbit, & vltrò
Cærula verrentes ſpumantibus æquora ſulcis,
Accelerant, properantque citi dare carbaſa ventis.
Appulimus tandem ad ripas, vbi concaua fluctu
Saxa ſonãt, refluoque admurmurat vnda cachinno:
Iamque ſpecum penetrant ſocij, aggreſſique iacentẽ
Protea, lethæi per amica ſilentia ſomni,
Vndique corripiunt, vinclis è vimine textis;
Squamiferaſque manus, & crura natantia, ſpiris
Vincta tenent: ſuus at pueros timor arcet, & ille
Dormit adhuc, quid ſi vigilis viua ira tonaret?
Iamque fugam arripiant, timidis niſi fortè ſubinde
Et Chromis, & Celadon vicino è littore nautæ
Opportuni aderant, vireſque animoſque dediſſent.
Sanguine quin atro, & nigro loliginis oſtro
Ora ſeni Chromis irridens, & tempora pingit:
Nempe olim in varias mutatus imagine formas,
Luſerat is pueros: hinc arctiùs ergo rudentes
Innectunt, luduntque ſenem, promiſſaque poſcunt
Carmina. ſed Vates, domitos vt diſcutit artus
Sat vigil, inſidias ridens, & pollice ſomnum

Ab-

Abſtergens oculis, fruſtra diſcerpere nexus
Ter ſtuduit: nam quò pueri me neſcitis, inquit?
Soluite me: Protei faciem ſatis eſto videri
Humanis potuiſſe oculis, nec plura: ſed illi,
Hinc imò te vincla tenent, hinc vimina nectunt
Arctiùs, vt promiſſa diu iam carmina, tandem
Deprenſus moduleris; rogat te ſupplice fluctu
Doris, & auritas ad carmina compulit vndas.
Incipe ſis: fulicæ dudum ſiluere paluſtres,
Solaque littoreis Echo reſponſat ab antris.
Hactenus, vt libuit mendax, ſpe carminis omnes
Luſeris; aſt modò ſum Protei non immemor artis.
Nonne ego vimineis circa hæc te littora nodis
Corripui? (tunc ſolus ego) meminiſti? vt ibidem
Tunc mihi mutatus tua per deliria, læuem
Lapſus in anguillam malè lubricus, indeque piſcis
Squameus, inq; ignem, liquidumq; ſolutus in āmnē,
Luſiſti, ah quoties! oculoſque manuſque tenentis,
Donec amica maris te conderet vnda natantem.
Cognatas iterū, fruſtra ſub pectore fraudes
Nunc meditaris: habēt tandem mea vota quod op- (tant.
Iam nec imaginibus ſocios deludere ſuetis
Eſt opus; & laquei nihil hinc niſi carmina poſcunt.
Ridet, at inuitus; verbiſque tepentibus, iram
Conſilio premit: at poſtquàm noctescere frontem
Sordibus æquoreis ſenſit: Nimis, ah! nimis inquit,
Audetis pueri. ſacri penetralia ſaxi
[Sit] ſubyſtis: at, & liquidis ſimul ora tenebris
Inſuq;

Inſuper infeciſſe nefas. ars ludicra poſcit
Nempe modum: ſceleris pateat ſi ſordidus auctor,
Carmina verberibus potiùs, quã carmina verbis
Ad numeros reſonanda, ſibi mercedis haberet.
Carmina ſed præſtat iam promere: carmina ſultis
Accipite, & cantu Vates ſimul ora reſoluit.
Tum verò implicitas manibus digitiſque videres
Nereidum choreas, circùm aſſultare canenti;
Sirenumque chorus tacitis per littora votis
Curua ſedent, digitiſque ſilentia mutua poſcunt.
Ipſe etiam Pater æquorea caput extulit aula
Neptunus, domuitque maris fera bella tridenti;
Iuſſit & auritos ediſcere carmina fluctus:
Iuſſa recurrentes caſtigat ripa ſuſurros,
Iuſſæ humeris denſæ ſe compoſuere procellæ.
Namque canebat, vti lucri melioris amore, (ris,
Quàm quod auara hominũ ſtimulat præcordia cu-
Quærere gemmiferas per blanda pericula arenas;
Xauerius, diuini vltrò Mercator honoris,
Prodigus & vitæ, tot per diſcrimina rerum,
Indica luſtrarit pueri cunabula Solis,
Inuia vel menti, at pedibus non inuia auaris.
Sed pia proh quantum generoſi audacia cordis
Illa ſtetit! vix nempe alacres turgentia ventis
Amboini tunc vela dabant de littore nautæ,
Cùm Stygii ſubitò Genii, quibus atra poteſtas
Aëris, & pelagi data deſuper, vndique inundãt
Tempeſtate ſuperfuſa: ſat nempe ruinæ

Styx

Styx præſaga ſuæ, & quantum Sinenſibus aris
Inſtet, adorato probrum miſerabile Auerno;
Iuſſit vt inſanis feruens maris ira rebellet
Fluctibus, & coniuratis in damna procellis,
Xauerium (inuiſum Stygijs caput) obruat vndis.
Vnum nempe procella petit: ſub fluctibus vnus
Vt pereat, ſoluant conſortia criminis omnes.
Hinc ergo AEolijs præceps ruit Africus antris,
Et ſua bacchanti luctatus prælia Ponto,
Vndoſas aperit nunc ima in Tartara fauces,
Audaci vicina ferit nunc ſidera fluctu:
Ipſos ex oculis ſocios, cælumque, diemque
Eripiunt nubes: ignitis anguibus æther
Sibilat, & miſtę pelagique, & fulminis iræ
Intentant geminas vno ſub funere mortes.
Iamque bibunt inimicũ imbrẽ latera omnia puppis
Aegra, gemitque ſuis ſtridens antenna querelis:
Saucius inclinat titubanti pondere malum,
Anceps qua de parte cadat: nec puppis habenas
Vlla ſciens pelagi, regit ars: ſpes naufraga, cunctis
Molle aperit liquida pariter cũ morte ſepulchrũ.
It pauor in lacrymas: aſt illacrymabile amaris
Haud pelagus dulceſcit aquis: ſuſpiria cælo
Vibrantur: laceras ſed mobilis aura querelas
Diſcerpit, ſuperas gemitus ne molliat aures.
Inde canebat, vti ſocios Xauerius auſu
Iuſſerit impauido Pater irridere procellas:
Fretus nempe ſuo, quem pectore geſtat IESVM,

Cuſ-

Cuſpide tergemina fixum, bifidoque orichalcô
Suſpenſum, lacera Dium ſub imagine Amorem.
Exuit hunc collo, & nauis de margine in vndas
Pronus, ibi, tenui ſimulacrum è ſtamine pendens,
Mergit adorandum pelago: reuerentius æquor
Senſit adeſſe Deum, dominoſque incedere greſſus
Credidit vnda memor, ceu quondã: hinc ergo repen-
Ira cadit maris, & rabies mulcetur aquarũ. (tè
Haud ſine fraude tamen: nam viuere ſueta rapinis
Vnda, ſerenato fauces vbi clauſit hiatu,
Fila Cruci abrupit: ſic vorticis impete Pignus
Abripitur, viduaſque manus effugit imago:
Quàm prope ſe ſaltu deiecit in ima ſequaci
Improuiſus amor! vetuit ſed margo cadentem:
Ah! clamat; ſed vox ſtupet, interrupta dolenti:
Ipſe dolet, ſed prora volans arat æquoris vndas.
Addidit, vt laſſos, pelagi poſt tædia, tandem
Inſula arenoſis Baranura receperit vlnis:
Vtque Pater, breuior genibus, dum littoris oram
Atterit, atque reum furti mare culpat, auaris
Senſerit ereptum reddi ſibi pignus ab æſtu:
Vtque Patris lacrymas, nec conſolabile vulnus
Fortè pius ſtrato miſeratus in æquore Cancer,
Linquens littorei latebroſa foramina ſaxi,
Scrutatuſque diu pelagi latus omne profundi,
Reſtituiſſe Crucis bona furta coëgerit vndas
Inuita: dein retrogrado (de more) natatu
Remigij octipedis, ſublimior æquora ſulcans

For-

Forcipe ſuſpenſum gemina, morſuque tenaci,
Extulerit Signum vexillifer: omnibus vndis
Obſequioſa, viam prætergredientis adorat
Doris, & vda pibs inclinat ad oſcula fluctus:
Donec ab vndarum famulis amplexibus, vltrò
Appulit, attonitas, non expectatus, ad oras.
Vt ſtetit, vt ſtupuit Xauerius, æquore longè
Proſpiciens venientem, auidos qua voce lacertos
Extendit, pelago incumbens, redeuntia ſponte
Pignora vt exciperet! dubio tunc miſcuit ore
Riſumq; & lacrymas; glaciemque timoris, & ignes
Corde vno; ſed plura velit ſibi corda deinceps,
Pluribus vt latebris ſecuriùs abdat Amorem.
At Patris ante pedes, in arena vbi Cancer amica
Liquit onus, patrijs iterum ſe miſcuit vndis.
I modo ter felix, non æquore, at æthere dignus;
Dignus cognato propiùs luceſcere Cancro
Cancer, & æſtiuigenas lucis tranſnare procellas.
Quòd ſi Zodiaci hoſpitibus te iungeret aſtris,
Sperneret amplexus duodeno in ſidere ſuetos
Sol, ſemperque tuis requieſcere mallet in vlnis;
Proximiora tuos fugerent nec ſidera morſus.
Hæc cecinit: donec Tritonia concha marinum
Cogit acuta pecus, vitreiſque recondit in antris.

IN ABVSVM TABACCHI

SATYRA PRIMA.

ARGVMENTVM.

SAtyræ meæ partes erunt, in abuſum in-uchi eius herbæ, quam vel à Ioanne Nicoſiano, Nicoſianam, vel à Cardinali Sanctæ Crucis, herbam Sanctã; vel à Tabaccho Regione Braſiliæ (vbi primùm reperta eſt) Tabacchum & ipſam nouimus à Scriptoribus neotericis nominari. Voces nimirùm vel herbæ propagatoribus affines, vel eius patrio ſolo cognomines. Niſi veriùs fortaſſe quis dixerit Tabacchũ, vel à tabe naribus emuncta, vel à Baccho labijs emungendo, vel demùm ab admixto maternæ ſimul, paternæque familiæ cognomento, veluti Tabem, & Bacchum, tranſfuſa vtrinq; vocabuli cognatione deriuari.

CARMEN.

QVandoquidẽ ludis in Bacchanalibus eſt mos,
Vt perſonatis incedant vultibus omnes,

Queis

Queis mordere libet mores impunè per Vrbem;
Quis vetet & Phœbo ſua ludicra? Iam ſemel anno
Inſanire licet Muſis, iocularis ad vſum
Temporis; aptè audet ius bacchanale Tabaccho
Carpendo, dum plebs inhiat magis vda trahendis
Hauſtibus. Ergo cauas, vultus mendacia, laruas
Induite Aonides caprina in imagine, et omnes
Ore, habituque alio Satyros, Satyraſque referte.
Nec deſint citharæ, & reſonis crepitacula bullis
AEtea: ſed ſocijs de more ſilentibus, vna
Calliope choream regat, atque emptoribus vltrò
Diſpenſet populis ſua cruſtula: ſi tamen vrit
Ora piper, ſtomacho non officit. Heus age larua
Huc ades, huc, vbi denſæ aures tua verba coronāt:
Incipe, quid ceſſas? Muſa incipe, vince timorem.
Ore verecundo refugis? quiſnam pudor? aude,
Sume animos, vocem compone ad iurgia; ſemper
Fœmineum in morem ſtillabis verba palato
Mollia? blandiri iam deſine: carmina profer (gus
Maſcula; & vt quondā in vites ſe armaſſe Lycur-
Fertur, ſic quoque ſic, Stygiam ab radicibus herbā
Falce pete Aonia; Bacchum ille, ipſa Tabacchum.
Ore fauete omnes, & naribus; antè theatro
Sat fuerat ſolis frenare ſilentia labris;
Nunc, niſi crebra ſilent ſternutamenta, cerebri
Tempeſtate repercuſſa, fruſtra ilia rumpet
Quiſquis anhelanti pulmone ad roſtra perorat.
Audior? an vox ſemianimis deſcendit ad aures

Obtuſas ſponte? en damus hic haurire Tabacchinam
Auribus vtilius, quàm naribus. Ergo age ab imis
Stirpibus, ignauo viridantem germine peſtem
Diſcite: luxurie foliorum, & caudice recto
Planta viret: patulæ arrectis mucronibus exſtant
Hærentes digitis pingui lanugine frondes.
Flos humili de plebe, pigro patefactus hiatu
Oſcitat, aſt nullos inglorius afflat odores.
Lucidus ore color, veluti ſqualente labore
Deliquio; ſed non qualis pallore decoro
Subridet violis (ægro licet ore) venuſtas.
Flos vbi deciduus ſenio gracileſcit, inertem
Hæredem tumet in ſiliquam, quæ deinde ſuperſtes
Spem fruticis fouet in tunica, prolemq; minutam.
Hæc vbi ſponte cadit, ſeriturque iniuſſa per agros
Nuſquam degenerat, vires oblita priores.
Propterea, aut ſobolem redeuntis adulterat herbæ,
Planta procax ſub Cælo omni quærentibus offert
Seſe vltro facilem; ſed non petulantius vſquam,
Quàm quibus in ſulcis, Cereali more, quotannis
Educat indignas malè vuida Braſilia meſſes.
Sed eadem foliorum, atque herbæ iura legendæ,
Temporaque, & leges cognoſcite. Ruſtica nudis
Turba humeris, vultuque gerens, & pectore noctē
Vix domito euigilat Bacchos aggreſſura laborem
Manè, ſub ancipitis malè viua crepuſcula lucis.
Scilicet antè ſuis quàm Sol coquat ignibus omnem
Herbæ animam, & plantæ virides eneruet amores.

Quin aſtiua anni non expectanda iuuenta eſt,
Cum ſeſe in ſpicam fœtura herboſa relaxat.
Vere nouo aggreditur ſegetem frondator, inermes
Nec fert ille manus: nam pollice, & indice vtroq;
Multiplicem in falcem iampridem nutriit vngues
Roſtratos nigranti ebeno, ciuiliter. Aſt quid
Martia luna nocet meſſi, quid ſidera Aprilis,
Vt vetitis tunc ieiunent à cædibus vngues?
Aptè eſt excidium vt frondis cadat omine fauſto
Arcanum Maij ſub menſem, non ſine cantu
Quadrupedũ, harmonicos criſpantũ gutture nodos;
Si non artis ope, at docili tamen aure canentum.
Sed prius infirmas ſenio, curuaſque fluenti
Canitie frondes, haud viuere paſſus inertes
Agricola, excurrens interficit vnguibus: aſt quæ
Luxuriat teneris adoleſcens frondibus ætas,
Primaque vix erumpentum cunabula florum,
Doctis hæc digitis ars ingenioſa nocendi
Decerpit ſelecta, propinquæ meſſis ad vſum;
Clauſaque vimineis in corbibus, ac trochlearis
Sub præli gemitu, strictim contuſa premuntur
Vi, conſanguineum Baccho expreſſura liquorem.
Hic ſalis exigui tactu, preſſoque pugillo
Zingiberis triti, & granis bene olentis aniſi
Dulci mixta ſapæ, vel vino infuſa recenti,
Cuncta diu ſimul ardenti damnantur aheno,
Cui nunquam defeſſi animent incendia folles,
Donec anhelantis ter ferueat ira liquoris.

Aſpice vt vnda vetat deſcendere littore cymbas:
Aſt ibi, qua ſcopulis tutò amplexantibus æquor
Segnior vnda iacet, vocat aura ſecunda carinas,
Oceanuſque ſenex, ibi curuo pronus in antro
Lenit aquas: ibi iam pelagi cecidere tumultus
Sole nouo; ſciſſis quà frons aperitur Olympi
Nubibus: en choreas agitant Delphines in vndis,
Spondent ſquamigeras piſcoſa ibi cærula prædas:
En ea piſcatrix etiam ſecat æquora puppis
Alta petens, pelagoque imo trahit humida lina.
Mecum ergo his ſtimulis accenſi, impellere cymbam
Accelerant remis ſocij, & certare lacertis,
Dum faciles ludunt Zephyri, & pacata ſereno
Cærula criſpantur riſu: iamque æmula cymbæ
Cymba volat, plauditq; alacris per tranſtra iuuẽtus.
Aſt vbi piſcoſæ liquida ad confinia metæ
Anchora fundauit cymbam, pars lintea laxat,
Pars interuallis paribus pigra pondera plumbi
Librat aquis: hic corticeis fluitantia lignis
Subera diſponit, naſſas hic, atque rudentes
Aptat, & hic dapibus medicatis retia ineſcat,
Et labyrintheos oculato vimine flexus.
Lucifer interea iam fugerat vltimus axe,
Atque repercuſſæ Phœbea crepuſcula lucis
Vibrabant tremulas accenſa per æquora flammas;
Cùm mihi ſquamoſo circùm gens humida dorſo,
Carcere clauſa ſuo, atq; auido pars gutture hærẽs,
Dum capiunt, capiuntur, adacto in viſcera ferro,

Spu-

Spumea lunatis ferientes æquora caudis:
Nempe dapes fruſtra, mentitaque pabula damnãs,
Extra vndas ſapit, at ſerò; & de ſtamine mortis
Pendulus, in vacuo dum palpitat aëre nudus,
Diſcit habere ſuas piſcis vel in æquore Parcas.
Dum ſic quiſque trahit malè cautos carcere piſces
Certatim, & prædis gaudet piſcator inemptis,
Fortè Aegon oculos Sanciani ad littora torquens,
Aſſiduo attritum fluctu, & ſpumantibus vndæ
Morſibus exeſum montis latus aſpicit; arcu
Pumiceo, & curui ſinuatum amplexibus antri:
Herba marina nigris circùm ambitioſa corymbis
Saxa tegit; vacuis vbi pendent oſtrea conchis.
In gremio molles feſſis dat littus arenas,
Quas refluo lambunt Thetidis ſalſa oſcula fluctu.
Huc Proteus gregis æquorei Dux, atq; Magiſter,
Callidus omnigenas Proteus variare figuras
Oris, & arcanas venturi aperire latebras,
Fortè piger, vacuo ſeſe proiecerat antro:
Serta iacent capiti delapſa, vbi lentus in alga
Feſſa ſenex placidę laxarat membra quieti,
Conciliant alterna maris dum murmura ſomnos.
Interea è ſtabulis pelagi, pecus omne natantum,
Vicina omnigenis complerat littora turmis.
Hìc Phocę, Thynnique leues, & grandia Cete
Preſſa giganteis claudentes æquora tergis, (rino
Mulliq; , & Scombri, & Delphines, & apta ma-
Monſtra ſatellitio, enſigeris pugnantia roſtris:

Pars

Pars choreas ludunt caudis, pars ſaltibus orbes
Agglomerant liquido, ſalſam pars littoris herbam
Ore petunt auido, indulget pars lumina ſomno,
Immenſaſque replent reſupino corpore arenas.
Ergo ſenem vt vidit Corydon ſub rupe latentem,
Flectere iter ſubitò, ſcopuliſque aduertere proram
Imperat, & tacitæ furtim ſuccedere rupi.
Læta igitur remis pubes incumbit, & vltrò
Cærula verrentes ſpumantibus æquora ſulcis,
Accelerant, properantque citi dare carbaſa ventis.
Appulimus tandem ad ripas, vbi concaua fluctu
Saxa ſonãt, refluoque admurmurat vnda cachinno:
Iamque ſpecum penetrant ſocij, aggreſſique iacentẽ
Protea, lethæi per amica ſilentia ſomni,
Vndique corripiunt, vinclis è vimine textis;
Squamiferaſque manus, & crura natantia, ſpiris
Vincta tenent: ſuus at pueros timor arcet, & ille
Dormit adhuc, quid ſi vigilis viua ira tonaret?
Iamque fugam arripiant, timidis niſi fortè ſubinde
Et Chromis, & Celadon vicino è littore nautæ
Opportuni aderant, vireſque animoſque dediſſent.
Sanguine quin atro, & nigro loliginis oſtro
Ora ſeni Chromis irridens, & tempora pingit:
Nempe olim in varias mutatus imagine formas,
Luſerat is pueros: hinc arctiùs ergo rudentes
Innectunt, luduntque ſenem, promiſſaque poſcunt
Carmina. ſed Vates, domitos vt diſcutit artus
Sat vigil, inſidias ridens, & pollice ſomnum

Ab-

Abſtergens oculis, fruſtra diſcerpere nexus
Ter ſtuduit: nam quò pueri me nectitis, inquit?
Soluite me: Protei faciem ſatis eſto videri
Humanis potuiſſe oculis, nec plura: ſed illi,
Hinc imò te vincla tenent, hinc vimina nectunt
Arctiùs, vt promiſſa diu iam carmina, tandem
Deprenſus moduleve; rogat te ſupplice fluctu
Doris, & auritas ad carmina compulit vndas.
Incipe ſis: fulicæ dudum ſiluere paluſtres,
Solaque littoreis Echo reſponſat ab antris.
Hactenus, vt libuit mendax, ſpe carminis omnes
Luſeris; aſt modò ſum Protei non immemor artis,
Nonne ego vimineis circa hæc te littora nodis
Corripui? (tunc ſolus ego) memimiſti? vt ibidem
Tunc mihi mutatus tua per deliria, læuem
Lapſus in anguillam malè lubricus, indeque piſcis
Squameus, inq; ignem, liquidumq; ſolutus in amnẽ,
Luſiſti, ah quoties! oculoſque manuſque tenentis,
Donec amica maris te conderet vnda natantem.
Cognatas iterũ, fruſtra ſub pectore fraudes (tant.
Nunc meditaris: habẽt tandem mea vota quod op-
Iam nec imaginibus ſocios deludere ſuetis
Eſt opus; & laquei nihil hinc niſi carmina poſcunt.
Ridet, at inuitus; verbiſque tepentibus, iram
Conſilio premit: at poſtquàm nocteſcere frontem
Sordibus æquoreis ſenſit: Nimis, ah! nimis inquit,
Audetis pueri. ſacri penetralia ſaxi
[Sit] ſubijſtis: at, & liquidis ſimul ora tenebris

Inſu-

Inſuper infeciſſe nefas. ars ludicra poſcit
Nempe modum: ſceleris pateat ſi ſordidus auctor,
Carmina verberibus potiùs, quā carmina verbis
Ad numeros reſonanda, ſibi mercedis haberet.
Carmina ſed præſtat iam promere: carmina ſultis
Accipite, & cantu Vates ſimul ora reſoluit.
Tum verò implicitas manibus digitiſque videres
Nereidum choreas, circùm aſſultare canenti;
Sirenumque chorus tacitis per littora votis
Curua ſedent, digitiſque ſilentia mutua poſcunt.
Ipſe etiam Pater æquorea caput extulit aula
Neptunus, domuitque maris fera bella tridenti;
Iuſſit & auritos ediſcere carmina fluctus:
Iuſſa recurrentes caſtigat ripa ſuſurros,
Iuſſæ humeris denſæ ſe compoſuere procellæ.
Namque canebat, vti lucri melioris amore, (ris,
Quàm quod auara hominū ſtimulat præcordia cu-
Quærere gemmiferas per blanda pericula arenas;
Xauerius, diuini vltrò Mercator honoris,
Prodigus & vitæ, tot per diſcrimina rerum,
Indica luſtrarit pueri cunabula Solis,
Inuia vel menti, at pedibus non inuia auaris.
Sed pia proh quantum generoſi audacia cordis
Illa ſtetit! vix nempe alacres turgentia ventis
Amboini tunc vela dabant de littore nautæ,
Cùm Stygii ſubitò Genii, quibus atra poteſtas
Aëris, & pelagi data deſuper, vndique inundāt
Tempeſtate ſuperfuſa: ſat nempe ruinæ

Styx

Styx præſaga ſuæ, & quantum Sinenſibus aris
Inſtet, adorato probrum miſerabile Auerno;
Iuſſit vt inſanis feruens maris ira rebellet
Fluctibus, & coniuratis in damna procellis,
Xauerium (inuiſum Stygijs caput) obruat vndis.
Vnum nempe procella petit: ſub fluctibus vnus
Vt pereat, ſoluant conſortia criminis omnes.
Hinc ergo AEolijs præceps ruit Africus antris,
Et ſua bacchanti luctatus prælia Ponto,
Vndoſas aperit nunc ima in Tartara fauces,
Audaci vicina ferit nunc ſidera fluctu:
Ipſos ex oculis ſocios, cælumque, diemque
Eripiunt nubes: ignitis anguibus æther
Sibilat, & miſtę pelagique, & fulminis iræ
Intentant geminas vno ſub funere mortes.
Iamque bibunt inimicū imbrē latera omnia puppis
Aegra, gemitque ſuis ſtridens antenna querelis:
Saucius inclinat titubanti pondere malus,
Anceps qua de parte cadat: nec puppis habenas
Vlla ſciens pelagi, regit ars: ſpes naufraga, cunctis
Molle aperit liquida pariter cū morte ſepulchrū.
It pauor in lacrymas: aſt illacrymabile amaris
Haud pelagus dulceſcit aquis: ſuſpiria cælo
Vibrantur: laceras ſed mobilis aura querelas
Diſcerpit, ſuperas gemitus ne molliat aures.
Inde canebat, vti ſocios Xauerius auſu
Iuſſerit impauido Pater irridere procellas:
Fretus nempe ſuo, quem pectore geſtat IESVM,

Cuſ-

Cuſpide tergeminâ fixum, bifidoque orichalcō
Suſpenſum, lacera Dium ſub imagine Amorem.
Exuit hunc collo, & nauis de margine in vndas
Pronus, ibi, tenui ſimulacrum è ſtamine pendens,
Mergit adorandum pelago: reuerentius æquor
Senſit adeſſe Deum, dominoſque incedere greſſus
Credidit vnda memor, ceu quondā: hinc ergo repen-
Ira cadit maris, & rabies mulcetur aquarū. (tè
Haud ſine fraude tamen: nam viuere ſueta rapinis
Vnda, ſerenato fauces vbi clauſit hiatu,
Fila Cruci abrupit: ſic vorticis impete Pignus
Abripitur, viduaſque manus effugit imago:
Quàm prope ſe ſaltu deiecit in ima ſequaci
Improuiſus amor! vetuit ſed margo cadentem:
Ah! clamat; ſed vox ſtupet, interrupta dolenti:
Ipſe dolet, ſed prora volans arat æquoris vndas.
Addidit, vt laſſos, pelagi poſt tædia, tandem
Inſula arenoſis Baranura receperit vlnis:
Vtque Pater, breuior genibus, dum littoris oram
Atterit, atque reum furti mare culpat, auaris
Senſerit ereptum reddi ſibi pignus ab æſtu:
Vtque Patris lacrymas, nec conſolabile vulnus
Fortè pius ſtrato miſeratus in æquore Cancer,
Linquens littorei latebroſa foramina ſaxi,
Scrutatuſque diu pelagi latus omne profundi,
Reſtituiſſe Crucis bona furta coëgerit vndas
Inuita: dein retrogrado (de more) natatu
Remigij octipedis, ſublimior æquora ſulcans

For-

Forcipe ſuſpenſum gemina, morſuque tenaci,
Extulerit Signum vexillifer: omnibus vndis
Obſequioſa, viam prætergredientis adorat
Doris, & vda pios inclinat ad oſcula fluctus:
Donec ab vndarum famulis amplexibus, vltrò
Appulit, attonitas, non expectatus, ad oras.
Vt ſtetit, vt ſtupuit Xauerius, æquore longè
Proſpiciens venientem, auidos, qua voce lacertos
Extendit, pelago incumbens, redeuntia ſponte
Pignora vt exciperet! dubio tunc miſcuit ore
Riſumq; & lacrymas; glaciemque timoris, & ignes
Corde vno: ſed plura velit ſibi corda deinceps,
Pluribus vt latebris ſecuriùs abdat Amorem.
At Patris ante pedes, in arena vbi Cancer amica
Liquit onus, patrijs iterum ſe miſcuit vndis.
I modo ter felix, non æquore, at æthere dignus;
Dignus cognato propiùs luceſcere Cancro
Cancer, & aſtrigenas lucis tranſnare procellas.
Quòd ſi Zodiaci hoſpitibus te iungeret aſtris,
Sperneret amplexus duodeno in ſidere ſuetos
Sol, ſemperque tuis requieſcere mallet in vlnis;
Proximiora tuos fugerent nec ſidera morſus.
Hæc cecinit: donec Tritonia concha marinum
Cogit acuta pecus, vitreiſque recondit in antris.

IN ABVSVM TABACCHI

SATYRA PRIMA.

ARGVMENTVM.

SAtyræ meæ partes erunt in abuſum inuehi eius herbæ, quam vel à Ioanne Nicoſiano, Nicoſianam, vel à Cardinali Sanctæ Crucis, herbam Sanctã; vel à Tabaccho Regione Braſiliæ (vbi primùm reperta eſt) Tabacchum & ipſam nouimus à Scriptoribus neotericis nominari. Voces nimirùm vel herbæ propagatoribus affines, vel eius patrio ſolo cognomines. Niſi veriùs fortaſſe quis dixerit Tabacchũ, vel à tabe naribus emuncta, vel à Baccho labijs eimungendo, vel demùm ab admixtæ maternæ ſimul, paternæque familiæ cognomento, veluti Tabem, & Bacchum, tranſfuſa vtrinq; vocabuli cognatione deriuari.

CARMEN.

QVandoquidẽ ludis in Bacchanalibus eſt mos,
Vt perſonatis incedant vultibus omnes,

Queis mordere libet mores impunè per Vrbem;
Quis vetet & Phœbo ſua ludicra? Iam ſemel anno
Inſanire licet Muſis, iocularis ad vſum
Temporis: aptè audet ius bacchanale Tabaccho
Carpendo, dum plebs inhiat magis vda trahendis
Hauſtibus. Ergo cauas, vultus mendacia, laruas
Induite Aonides caprina in imagine, et omnes
Ore, habituque alio Satyros, Satyraſque referte.
Nec deſint citharæ, & reſonis crepitacula bullis
AErea: ſed ſocijs de more ſilentibus, vna
Calliope choream regat, atque emptoribus vltrò
Diſpenſet populis ſua cruſtula: ſi tamen vrit
Ora piper, ſtomacho non officit. Heus age larua
Huc ades, huc, vbi denſæ aures tua verba coronãt;
Incipe, quid ceſſas? Muſa incipe, vince timorem.
Ore verecundo refugis? quiſnam pudor? aude,
Sume animos, vocem compone ad iurgia; ſemper
Fœmineum in morem ſtillabis verba palato
Mollia? blandiri iam deſine: carmina profer (gus
Maſcula; & vt quondã in vites ſe armaſſe Lycur-
Fertur, ſic quoque ſic, Stygiam ab radicibus herbã
Falce pete Aonia; Bacchum ille, ipſa Tabacchum.
O: e ſauete omnes, & naribus: antè theatro
Sat fuerat ſolis frenare ſilentia labris;
Nunc, niſi crebra ſilent ſternutamenta, cerebri
Tempeſtate repercuſſa, fruſtra ilia rumpet
Quiſquis anhelanti pulmone ad roſtra perorat.
Audior? an vox ſemianimis deſcendit ad aures

 Obtu-

Obtuſas ſponte? en damus hic haurire Tabacchina
Auribus vtilius, quàm naribus. Ergo age ab imis
Stirpibus, ignauo viridantem germine peſtem
Diſcite: luxurie foliorum, & caudice recto
Planta viret: patulæ arrectis mucronibus extant
Hærentes digitis pingui lanugine frondes.
Flos humili de plebe, pigro patefactus hiatu
Oſcitat, aſt nullos inglorius afflat odores.
Lucidus ore color, veluti ſqualente labore
Deliquio; ſed non qualis pallore decoro
Subridet violis (ægro licet ore) venuſtas.
Flos vbi deciduus ſenio gracileſcit, inerti
Hæredem tumet in ſiliquam, quæ deinde ſuperſtes
Spem fruticis fouet in tunica, prolemq; minutam.
Hæc vbi ſponte cadit, ſeriturque iniuſſa per agros,
Nuſquam degenerat, vires oblita priores.
Propterea, aut ſobolem redeuntis adulterat herbæ,
Planta procax ſub Cælo omni quærentibus offert
Seſe vltro facilem; ſed non petulantius vſquam,
Quàm glebis in ſulcis, Cerealis more, quotannis
Educat indignas malè nuda Braſilia meſſes.
Sed eadem foliorum, atque herbæ iura legendæ,
Temporaque, & leges cognoſcite. Ruſtica nudis
Turba humeris, vultuque gerens, & pectore noctis
Vix domito euigilat Bacchos aggreſſura laborem
Manè, ſub ancipitis malè viua crepuſcula lucis.
Scilicet antè ſuis quàm Sol coquat ignibus omnem
Herbæ animam, & plantæ virides eneruet amores.

Quin

Quin æſtiua anni non expectanda iuuenta eſt,
Cum ſeſe in ſpicam fœtura herboſa relaxat?
Vere nouo aggreditur ſegetem frondator, inermes
Nec fert ille manus: nam pollice, & indice vtroq;
Multiplicem in falcem iampridem nutriit vngues
Roſtratos nigranti ebeno, ciuiliter. Aſt quid
Martia luna nocet meſſi, quid ſidera Aprilis,
Vt vetitis tunc ieiunent à cædibus vngues?
Aptè eſt excidium vt frondis cadat omine fauſto
Arcanum Maij ſub menſem, non ſine cantu
Quadrupedũ, harmonicos criſpantũ gutture nodos,
Si non artis ope, at doctli tamen aure canentum.
Sed primo infirmas ſenio, curuaſque fluenti
Canitie frondes, haud viuere paſſus inertes
Agricola, excurrens interficit vnguibus: aſt quæ
Luxuriat teneris adoleſcens frondibus ætas,
Primaque vix erumpentum cunabula florum,
Doctis hæc digitis ars ingenioſa nocendi
Decerpit ſelecta, propinquæ meſſis ad vſum;
Clauſaque vimineis in corbibus, ac trochlearis
Sub præli gemitu, ſtrictim contuſa premuntur
Vi, conſanguineum Baccho expreſſura liquorem.
Hic ſalis exigui iactu, preſſoque pugillo
Zingiberis triti, & granis bene olentis aniſi
Dulci mixta ſapæ, vel vino infuſa recenti,
Cuncta diu ſimul ardenti damnantur aheno,
Cui nunquam defeſſi animent incendia folles,
Donec anhelantis ter ferueat ira liquoris.

Tum verò folia è plantis viridantia tempus
Carpere, quæ ſub opaco ædis ſolario ad vmbram
Sternit humi, & viridi paſſim velamine pronas
Diſpoſitis ſtruit ordinibus, velut agmina, frondes.
Has inde irrorat cognati aſpergine ſucci
Ruſticus, atque alias aliјs ſuper imbuit herbas
Imbre, quater ſtructis foliorum tegmine aceruis.
Dein ſuperextendens lanoſa vmbracula, ſpargit
Terga fimo, & bibulas fermentat ſtercore frondes.
Scilicet hic cibus ille, diu verſandus in ore,
Vel ſorbillantis naſi expleturus amores
Puluere, vel poto ſubiturus guttura fumo.
Aſt vbi ſat maduit dulci pinguedine, tactu
Lenta, & ſub rufo tabeſcens ægra colore
Herba, plicabilibus tunc torta rudentibus, arctè
Stringitur in funem, inque nigros collecta colubros,
Agglomerat teretes ſpiris, ceu torquibus, orbes.
Sic ſiluarum vtero volitante, per æquora vectum,
Diſſociabilibus Mundi vlterioris ab oris
Nauigat exitium venale, & ſupplice nummo
Ceu merces, emimus ſordes; ceu pharmaca, peſtem.
Parciùs: audacter prolapſa eſt lingua, loquelam
Corrige. Non reuoco verbum, nec pænitet; immò
Non ſic cæca luis ſerpunt contagia, vti iam
Hæc ſcabies cerebri, & naſi cacoëthes aperto
Inſinuat ſeſe exemplo, ac ſua iura propagat,
Sponte triumphatũ damnans famulatibus Orbem.
Scande ratem ò nares hominum emunctura tributo

Her-

Herba nouo, & totidẽ Domino domitura Tabaccho
Mancipia, ipſa ſuo quotquot vindemia Baccho
Non ſubiecit adhuc: niſi quòd iam fœdere amico
Iungitis hoſpitia, inque vicem auxiliaria fertis
Subſidia. hinc ſi fortè mero mens icta, choreas
Saltet, multiplicetque oculis vertigo lucernas,
Multiplicis veluti ludat mendacia vitri;
Motus hi ſpecierum, atque vdæ incendia frontis
Mordacis cineris ſorbillo extincta quieſcent.
Nominis, ac morum concordia, nexus amorũ eſt
Scilicet. hinc Bacchus, ceu captus amore Tabacchi,
Fratris ad obſequium domita manſueſcit ab ira.
Nec minus eſt ipſe antidotum, ſi fortè viciſſim
Tartareæ frondis vitio, ac vertigine ſicca
Turpe chaos cerebri ſine lege rotetur in orbes:
Oſtrum molle meri capitis tunc corriget ægra
Cymbala, eritque ſuo Bacchus medicina Tabaccho.
Sic clauus clauo, ſic dæmone truditur alter
Dæmon, ſubiectoque extinguitur ignis ab igne.
Sed vini fortaſſe erit excuſanda libido,
Dulce ſapit, blandè ingreditur, fouet, ac fauet aluo;
Nec tamen aſſiduè: at tu nocte, dieque fatigas
Mandibulam, lambẽs, ceu bos cùm ruminat, herbã:
Nec modus eſt turpes ſtomachi exhaurire lacunas,
Ni prohibes choreas agere, & putreſcere dentes,
Bella famis poſthac vallo pugnabis inermi.
Quid? pluuias oculi, cerebrique humentia ſiccat
Nubila, ſi capitis penetralia permeet herbæ

Fumus, arundineo quem fiſtula longa camino
Sorbet, ſuffitu caliginis ora vaporans,
O furiæ humano in vultu! procul hinc Acherontis
AEthiopes, quorum poto ſitis arida fumo
Nare vomit nebulã, & quas hauſerat ore Mephi- (tes.
Non niſi nigrantes animas fuligine veſci
Crediderim. ſi queis alimur, conſtamus, alumnam
Sorbilium tenebrarum, opus eſt nocteſcere mentem.
Pluribus aſt hominum cerebri ad purgamina dandum eſt
Elleborum, quos nempe rapit cinis aridus herbæ.
Hæc vbi marmoreo ſaxi verſatilis orbe
Tunſa diu teritur, bene olentibus inde roſarum
Mixta cadaueribus, vel quô mage quiſquis odore
Arte vaporato trahitur, vel ſimplice, cantu
Afflatus magico cinis ille veneficus Orbem
Faſcinat, imperio tam dulci, vt naſus, & herba hæc
Arcanos ſuperent ferri, ac magnetis amores.
Ac veluti indomitus cornu excutiente laborem
Bubalus, infixa eſt ſi fibula ferrea naſo,
Vel puero paret ductori, & nare ſequaci
Verſatur quocunque vocas; ſic gramen amicum
Si pecudi obtuleris, veſtigia euntis adorat;
Haud aliter trahitur captiuis naribus Orbis.
Vix è pendenti grauidæ coxendicis antro
Extrahitur pyxis medicati pulueris, viſu
Vel lacera aſſiduo fœdata volumina chartæ;
Quàm ſubitò aſtantes eadem prurigo remordens

Titillat! veluti ſiquis prior oſcitet, inde
Neſcio quæ blandè irritans violentia cogit
Ora aliena ſimul ſocios diducere rictus,
Et patulis pigram Aeoliam exhalare cauernis:
Sic naſo fortaſſe vno ſorbente venenum hoc,
Lex vitij vetus, & naris mucoſa libido
Excitat exempli viuis calcaribus omnes,
Imò quaterdenis ſua cùm ieiunia menſis
Prima dies cinerum indicit, pia turba ſacratas
Ad cineris ſordes non collo ita ſupplice pendet,
Preſbyter vt capiti cognatæ aſpergine terræ
Puluerulenta ferat memorandæ nuncia mortis;
Vt ſitiente manu, digitorumque aucupe roſtro
Curritur ad ſiccum lacrymoſi pulueris hauſtum,
Cùm primum ſanctæ plena indulgentia frondis
Pandit odoratam naſi ad libamina acerram.
Herba, aiunt, ſancta eſt; ſāctiſſima: Mūdus adorat
Scilicet: inde ſuis conditur odoribus, inde
Conditur in vacuis argenti amplexibus, inque
Verſicoloratis palearum ex iride thecis,
Quali nec Diuum latitarent lipſana cultu.
Sanctæ herbæ eſt id prodigiū, quod prodiga ſemper
Pyxis inexhauſtos quærentibus offerat hauſtus:
Hac ſub lege patent gratis commercia cunctis
Naribus. exiguam contritæ frondis ad vrnam,
Seu cincinnatus Ganymedes officioſè
Molle ebur inclinet dextræ, ſeu ruſticus aſper
Extendat piceas digitorum forcipe chelas,

Nemo

Nemo expers: omni iura hæc ciuilia naſo
Nempe fauent, nullo diſcrimine. auara Tabacchi
Dextera, inurbani rea criminis, ac violatrix
Obſequij ſocialis erit. Proh quàm bona culti
Relligio moris! latitat ſed ſubdolus ignis
Sub cinere hoc tacito: vitium deforme decora
Sub larua tegitur: naſorum nempe Charybdi
Impunè vt liceat ſiccas ſorbere procellas
Vſque, & vbique. Sed interea ciuilis Amice
Dic ſodes, quæ quotue die mantilia naſo
Mũda adhibes, remoues immũda? id deprecor vnũ,
(Sic tibi odora acies nunquàm obtundatur) apertum
Exere linteolum ſtellatum ſidere flauo.
Proh ſpeciem indignam! tam diuitis ergo pruinæ
Textilibus villis Cameraci lintea inundant,
Ventilet vt naſi Zephyrus vexilla Tabacchi
Byſſina, vbi pateant, ceu claro in ſtemmate ſordes?
Imò, ais, vt lateant purgamina fœda, recens mos
Texuit atratas tenebrarum è ſtamine telas.
Ridiculum, nonne & vitium color ipſe loquetur?
Qui reus eſt, tenebras ſibi quærit. Sternue nunc ter:
Proſit. adhuc? ſatis eſt: ſternutamenta parumper
Interrumpe, nequis ſuſpendere: clauſus aheno
Carcere ſulfureus nitrati pulueris horror,
Igne laceſſitus tonat ictu haud amplius vno.
Aſt Acherontei piperis, Stygijque ſinapis
Ardor, vbi irritat naſorum fulmina, ſæpe
Bis duodena tonant horarum ſigna, Cyclope

Tam

Tam crebrò, vt toties defeſſo ex ore fauentum
Haud ſolitam expectent ſternutamenta ſalutem.
Sed ridenda hæc, illa tamen deflenda, quod atra
Naſorum ſcabies, nulla eſt medicabilis arte.
Curui omnes languent longo pòſt tempore mores,
Cunctaque (belli inſtar) vitiorum pugna ſeneſcit.
Iam tandem, vt noſter (ſi neſcis) Liuius inquit,
Bilis flaua, niger liuor, ſacra Hydropiſis auri (vbi
Mars, Bacchuſq;, Venuſq; ſeneſcit cuncta: Tabaci
Vnus amor magis ipſo vſu iuueneſcit, ad vſque
Te cinerem, obſcuro ſorbendum mortis hiatu;
Si tamen & tecum vitium morietur in vrna.
Inde cadaueribus fortaſſe, ſuperſtite toto
Ore, prior naſus cadit; ac bene, vindice pœna
In cinerem reſolutus abit: ni ita fiat, & ipſo
In tumulo humanos cineres ſorberet auara
Conſuetudo mali. ſed odorem ò quiſquis adoras,
Siccine facta tibi eſt Deus inueterata cupido?
Sordibus emerſus cur cœno rurſus eodem
Volueris? Inde reor, quia ſegniter ægra voluntas
Imperat, illecebris decepta nocentibus. aude
Inuitus licet, ac mentis vi corrige mentem;
Ne doleas tam ſæpe, dole ſemel. Excute frenum
Naribus, & nexũ hunc, nequeas ſi ſoluere, rumpe.

IN GVLAM.

SATYRA SECVNDA.

ARGVMENTVM.

VSque adeò proceſſit humanæ voracitatis impudẽtia, vt pleriqué mortalium, ex eorum ſanè grege, quorum Deus venter eſt, non comedere, vt viuant, ſed viuere potius videãtur, vt comedant. Non abſimiles profectò piſciculis illis noſtris, quos Aſellos vulgò nominant Piſcatores, ideò fortaſſe, quia cor, nobiliſſimũ illud membrum, inſtrumentum vitæ, atque officinam amoris, non in amplexu pectoris gerunt, vt animantia cætera, ſed in profundiore ventris barathro collocatum: vt ronera nimirũ, vbi cuiuſque theſaurus eſt, ibi & cor eſſe dicatur. Ad horum ingluuiem inſectandam hoc potiſſimum temporis aptum Apollini viſum eſt; trifauci ſcilicet vẽtris humani Cerbero, ſoluto iam nuper à legalis ieiunij catena, ac proinde liberiore latratu, vetitis antehac morſibus inhiante: hoc eſt redeunte iam ſaginata ciborum pinguium indulgentia, cùm videlicet heluones

nes famelici, extenuatis (ſi fas ita credere) per ieiunia viribus, ad fulciendam imbecillitatem naturæ, exaggerata ciborum ſtrue, præfocant potius vitalem ignem, quàm foueant alimento. Sed ſobriam religioſæ menſæ frugalitatem à ferculorum luxu tantopere alienam nemo ſit, qui ſuſpicari queat, Satyrici huius carminis mordaci ſale condiri. Nonnullorum adipe vellēt potius mea carmina coronari, quorū pinguedo delicatè, ac molliter enutrita, periculum eſt, ne ſine huiuſmodi ſale putreſcat. Sed quid mirum? Alterum è duobus ſcopulis offendere Satyrici ſolent, vt auditoribus verba faciant, aut immeritis, aut inuitis.

CARMEN.

Felix qui priſco vitam ſub Sole colebat,
Sæcula cū fluerent mortalibus aurea: nondum
Nouerat attritu ſulci iuueneſcere aratrum,
Nec telluris adhuc humeros ſtimulare colendo,
Ventris inexpleti ſtudium conceſſerat. vltrò
Arboreos fœtus tellus iniuſſa ferebat,
Placabantque famem ramis excuſſa benignis
Poma, & ſponte ſuo redeuntes ſemine fruges.
Viſcera viſceribus tumulare voracibus auſa eſt
Nunquam priſca fames, aliena aut viuere cæde.

Quid

Quid queritur breuiora ſibi confinia vitæ
Nupera gens hominum, generi inuidioſa vetuſto,
Longæuæque diu per ſæcula ſera ſenectæ?
Morte alimur, mortemque alimus. ſi veſcimur eſca
Funeris, accelerant tot paſta cadauera mortem.
Nempe nouercali magis eſt deuota veneno,
Quæ dulci dubione dapes vitiata ſapore,
Artis ope condita epulis apponitur: auro
Diuite plus liquidæ mortis, quam fuſilis oſtri,
Hauriit ſæpe ſitis peregrino ſaucia Baccho.
Illa doli eſt expers vita, atque imperuia fraudi,
Quæ tot deſpiciens opulentæ pondera menſæ,
Gaudet vt exanimi caleat focus igne, & aheno
Suppoſiti, feſſo requieſcant flamine folles.
Heluo, nonne queant ſtomachũ placare latrantẽ
Palladis, ac Cereris, Pomonæ, ac munera Bacchi?
Hæc tibi nonne ſatis? quidnam famulantia ventri,
Aëra, tellurem, pontumque, ignemque fatigas,
Vt tibi cuncta ſuos ſudent elementa labores?
Tuta ales cælo poterat ſe credere aperto,
Cùm nondum ignitę volitarent aëre mortes.
Nempe olim inſidias, & ſubdola retia, & eſcas
Per nemorum latebras tendebat callidus anceps,
Fraudibus alliciens, ſimulata aut voce ſororis
Pennigeræ; quid plura igitur? ſic neſcia fraudis,
Dum capit ore cibum, tibi fit cibus ipſa volucris.
Quòd ſi ſolus amor Sirenis dulce canentis
Te rapit, en tibi, dum fugiens, rediensque vagatur

Re

Remigio alarum, atque aures, atque aëra mulcet.
Sat fuerit laqueo volitantem, aut fallere viſco,
Vimineoque leues includere carcere cantus.
Sed tibi non aures auium concentus, at ora
Solicitat, non vimineo tu carcere claudi
Ficedulas, ſtomacho ſed amas ceciniſſe profundo.
Humanas valeat volucris ſi reddere voces,
(Fabula vti pueris canitur) quos funderet ore
Fletuſque, & gemitus libertas clauſa volantis?
Me miſeram! noua quæ excudit molimina fraudũ
Ad volucrum exitium famis inſatiata Charybdis?
Nempe priùs nemorum metuēs in tegmine fraudes,
Aut viſci inſidias, aut intextos labyrinthos,
Fundere ſecuro gaudebam gutture cantus,
Summa petens nemorum faſtigia, & æthere ab alto
Agglomerans vacuas ſocijs comitata choreas:
Vix nunc fortè ſeco malè tutis aëra pennis,
Inſidias fugiens, medicatam aut retibus eſcam,
Hoſtes vt ſubitò prædæ accinguntur apertæ.
Circinat ille arcum manibus, celereſque ſagittas
Aptat, vt arte pari, pennaque volante, volucres
Nos volucres feriant, ferrato ad vulnera roſtro.
Sed priſca hæc, metuũt volucres noua fulmina terræ
Ictibus en præſignatis, certaque ruina (ris
Deſtinor igne mori, procul æquore, naufraga in au-
Dum ſclopi ora oculo venator dirigit, aër
Ictibus ignitis laniatus ſibilat, & dum
Scinditur, exploſoque touant incendia plumbo,

Fle-

Fumo oculos, tonitruque aures, & ſulphure naſos
Exaturante, comis decor, ac tria cornua barbæ,
Victima ſæpe ignis foculi de calce crematur:
Ferratam interea tubuli de fulmine mortem
Ille vomens, medios interſicit aëre cantus:
Grandine ſic calida glandis tranſigor ahenæ.
Proh fera mens hominũ! moliris tot male fraudes
Inſuetum per iter, nempe ut mulcere palatum
Auratis valeat pateris condita volucris?
Nonne Deus uenter? nonne illius ut Numen adoras?
Cui tot deuota mactantur uictimæ ad aras,
Cui tanto tellus fumat madefacta cruore?
Sed corrupta coqui ſtudio peregrina uolucris
Expleat ingluuiem, ſit, uentris lenimen ægri,
Quid tamen id refert, patinæ quod diuitis alueo,
Non niſi uerſicolor plumaíq; oneſtata uel ales
Adueniat, uel cui uox ingenioſa canoris
Flexibus, aut picta quæ pandit in iride caudam?
Nonne etiam dapibus paſcantur lumina, & aures?
An uentri dulcedo ſoni facet, atque coloris?
Crediderim pluma non ueſceris, at bene plumas
Appetit ore; cibus irritamenta uomendis,
Exigat ut uiuis cognata cadauera ab urnis.
Soluere ſed domino cogunt abdomini honores
Terram etiam, matrem frugum ſimul, atq; ferarum.
Vt ueniant fruges, quanto indulgere labori
Eſt opus? ignauas raſtris nunc frangere glebas,
Nunc & in obliquum ſulcos proſcindere ſulcis.

Et

Et lacerare humeros telluris vulnere aratri.
Quin ſua lex ſtellarum ortus, obituſque perennes
Aſtrologos facit agricolas, prædicere motus
AEtheris; & cæli varios ediſcere mores.
Qua Bacchus patria ſurgat generoſior, aut qua
Planitie meliore Ceres flaueſcat in auro:
Vt bibat excultis liquidum de collibus oſtrum
Nobilium malè ſana ſitis, Cereriſque pruinas
Infamis ſine lege fames, aut nauſea plena
Ore edat inuito, quia diuite. Quid tamen anni
Solicitare moras auidis calcaribus audes
Luxuria ingenioſa gulæ, ceu clauda retentur
Tempora? faſtidis pigra de vite racemos,
Autumno quos ſera ſuo vindemia inaurat;
Pomaque deſipiunt, ceu ſuccum oblita priorem,
Inuiti niſi poma coquant matura Decembres.
Fraga niſi, & ceraſa hibernis igneſcere diſcant
In niuibus, dulcem iuſſæ anticipare colorem,
Tanquam degeneres pariunt faſtidia fructus.
Scilicet ars, & adorati indulgentia ventris
Huc inhiat, tellus enixa vt præcoce abortu,
Impatiente ſinu pariat. libare recentes
Delicias, vetitoſque alieno menſe ſapores,
Id ſtudiũ agricolæ, id domini expectata voluptas.
Iſta ferenda forent, quid terra tyrannide tanta
Præpropero captiua gemat damnata tributo;
Ni gregibus viduata etiam tot pignora mater
Aut rapta è ſtabulis, nemorali aut Marte peremptã,

Totque ſibi ereptos malè ſaucia fleret amores.
Manè nouo ſuperans gelidi pigra culmina mõtis
Vix procul è ſpecula venator proſpicit apri
Terga vepreſcentis, timidi aut veſtigia cerui;
Extemplò in veros ceu prælia miſceat hoſtes,
Laxat lora, auidiſque aperit ſua bella moloſſis.
Libera, & ad prædam generoſior, arrigit aures
Turba canum impatiens, laceratq; latratibus auras,
Vnde cauæ plauſum reſponſant vndique valles.
Quorſũ hæc? quid tot bella tonãt ſilueſtria? quorſũ
Enutrire odia inter ſe, rabiemque docentur
Arte feræ, alternoſque dolis ciuilibus aſtus?
Quorſum ferratæ per arundinis ora rotantur
Fulmina, & exploſi vibrata grandine plumbi
Tempeſtas medios intercipit ignea curſus?
Scilicet, vt gula bellatrix onerata triumpho
Agreſti repetat turmis victricibus vrbem,
Vnde Deo plaudant epinicia ſordida ventri.
Quid mare? quot petitur piſcantũ fraudibus? ac ſi
Soluere non valeat, ceu debitor, æs alienum,
Carcere multiplici circùm vndiq; clauditur, ac tot
Septus arundineis lictorum in littore virgis,
Captiuas dolet æquoreis cuſtodibus vndas;
Quam natura dedit, liquida vt pecus omne vetetur
Libertate frui. Pelagi in penetralibus imis,
Quò manus, atque oculi prohibentur, iniqua ferũt ſe
Iura gulæ; ſinus, aut ſtatio vix vlla relicta eſt,
Squamigerum quò tuta gregẽ Thetis humida cõdat.

Sint

Sint tamen hæc parcenda gulæ, dũ lege quotannis
Interdicta tuis ſunt fercula pinguia menſis.
Aſt vbi iam redeunt Paſchalia gaudia, quorſum
Pabula confundis ſecum pugnantia? nec ſe
Fœda gula hac poterit larua occultare; quòd ignis
Internus ſtomachi, iratique incendia ventris
Subſidium vitæ, & ſibi debita iura repoſcant:
Non etenim natura, & naturæ atra libido
Id petit, vt nempe æquoreis terreſtria iungas,
Pauonem anguillis, & pinguibus oſtrea turdis.
Hinc vomis, vt comedas, dapibus quia nempe vomendis
Veſceris: inde etiam malè cõcoquis: inde Mephites
Tot ſatur eructas, quot verba. hinc deſide pluma
Manè volutaris, lateri verſatus vtrique;
Nec ſomno excuteris, iaculo niſi Solis adulto
Inuitos feriente oculos, cùm ſcilicet hora eſt
Prandere, appoſitiſque iterum diſcumbere menſis.
Hic vbi neſcio quis (cuius mihi nomina mente
Immemori exciderunt) ſponda componit vbi ſe,
Vt comedat, calidos veluti accingatur in hoſtes,
Fulgurat in vultu rabies, gladijque rotantur
In cędem: haud ſolis manibus, ſed dentibus, ore
Pugnatur, decorantque ſuę mantilia ſordes.
Siſtite: quid rabido glomeratis edulia morſu?
Haud vllus metus eſt condita cadauera menſis
Ne rediuiua fugam capiant: ſpurciſſima dentium
Exerit arma fames, tanto conamine, & ictu

Tam celeri, vt coëunte oris ſub forcipe, ſępe
Lingua det ipſa ſibi meritos malè ſaucia morſus:
Tanto pręcipites vibrantur fulmine dentes:
Iis digni dapibus, quas Heliogabbalus olim
Arte noua appoſuit. celebrans conuiuia Cęſar
Publica, ſolennes epulas indixit, apertas
Ad pompam ſcurris ſimul omnibus, ac paraſitis,
Quotquot in Vrbe aderãt, Epicuri de grege porcis.
Nec reor inuitos præco inuitauit: amicum
Cæſaris edictum vt ieiunas imbuit aures,
Fama volat ſuaſura famem. nam quiſque acuens ſpẽ,
Sponte ſibi indicit tridui ieiunia, nempe
Ante diem feſtum, & ſolennia pinguia ventris,
Vt genio tum lurco, vacans pietate, litaret.
Expectata dies vix adfuit, agmine pleno
Conuenere auidę ieiuno abdomine laruę,
Peruia vbi poſitis patuere triclinia menſis.
Hic rabidę ſtomacho longùm latrante Charybdes
Diſcubuere toris. ſtat circumfuſa theatro
Turba equitum, Rexque ipſe ſuos viſurus honores.
Vt ſignum bello dedit Aulicus, ordine longo
Sueta miniſterio pubes fallacibus eſcis
Menſam onerant, & cocta ferunt mendacia; turdos,
Perdices, lepores, paſtillos, fercula cuncta
Fictilia, aſt ex arte ſuo fumantia odore.
Haud mora: quiſque ratus ſecurum illidere dentem
In molles, fragileſque epulas, vibrat impete toto
Morſus fulmineos; ſolido tamen offendentes,

Incre-

Increpuere molę malè fractis o e cruento
Dentibus. hos inter plauſus, lepidoſque dolores,
Hi ieiuni epulis, riſu ſatiata corona eſt.
Tu tamen ò, cui pinguis amor diſtendere ventris
Planitiem, & pomæria corporis amplificare,
Vt nec tergus equi membrorum pondera, nec te
Ferre queant tanta ſub mole gementia plauſtra;
Illud fortè caue, ne adipis grauis obruat humor
Particulam diuinę aurę, ſub carcere clauſam
Corporis: aut id conſilium ſi negligis, ipſum
Corpus ama, ac metuas, nę vitalem obruat auram,
Aut properata tibi mors, aut feſtina ſenectus.

IN LVXVM MVLIEBRIS ORNATVS

SATYRA TERTIA.

HAc vice, quā vereor, ne ſint pro verſibus hiſce
Barbita Muſarū mihi concita! neue super me
Fœmineos ſpectem volitare per aëra ſoccos
Dicendum tamen eſt audacter, & ore ſoluto,
Sit modò quicquid erit. Patientia ſera tacendi
Preſſa diu, detur iam tandem erumpere labris,
Maluerint Muſæ, aut nolint. muliebris amictus
Libera luxuries, cultuſque licentia, & artes,
Et malè fucatæ ſtudioſa induſtria formæ
Hæc cadat Aoniam, Phœbo grata hoſtia, ad aram,
Hæc iugulanda meo ſit pinguis victima cultro.

Si vitio hoc Muſæ careant, aliena placebunt
Iurgia: ſin Muſis luxu peccatur eodem,
Quo reliquæ matres, ſubeant cum complice ſexu
Supplicium ipſę etiam Muſæ. Indignata negabit
Sed mihi Calliope tumidos ad carmina fontes,
Et verſus equites, & ſeſquipedalia verba:
Quin humili dabit ore loqui. det: proderit iſthæc
Vltio, ceu medicina: ſtylo nam clariùs ad rem
Simpliciore loquar, facilè exauditus ab omni,
Fœminea licèt aure; canam nec carmina ſurdis,
Sponte mihi ſurdus niſi ſit, qui audire recuſet.
Quid tamen hic fruſtra Satyrã diſperdere? quorſũ
Innocuas lacerare meis hìc morſibus auras?
Immeritò hic, vbi nempe mihi ſola applicat aures
Turba virum: quò fœmineos accedere greſſus
Vaticana vetat lex, & clauſtralia iura:
Nec canimus maribus. quid ſi maribuſque canamus?
Eſt rurſus cur iſta viris: tibi ſcilicet, vxor
Stulte marite nocet: vitium tibi vertitur, vt qui
Non prohibes, quia permittis, laudaſque. caue ne
Vxoris decor, & decus hoc, in dedecus illud
Degeneret; ſatis eſt, intelligis? atque comarum
Dum radijs ornata nitet frons coniugis vt ſol,
Neſcio quæ ſinuoſa ornet tibi Cynthia frontem.
Ergo age: quid prius hic lacerẽ? quid poſtea? ab al-(to
Vertice ad vſque pedes criſtata ſuperbia caudam
Pandit vbique ſuam: capiti quæ machina ſtructa eſt;
Pyramis & flexu trochleari trans iuga frontis

Ecce

Ecce Deam Cybelen. tortis ſpiraliter ex ui
Crinibus, ædificat turrim Babylonis in auras:
Non quòd diluuium metuat ſibi fæmina; ſed quòd
Naufragia inde hominũ ridens quãplurima ſpectet.
Crinis aratra placent aliis, queis tramite longo
Diuiſis hinc inde comis ope dentis eburni
Orbita nuda patet, vacui diſcrimine ſulci:
Ceu cùm trita inter flauas it ſemita meſſes.
Contra aliæ, retrorſum acto toto amne comarum
Aggeribus clauſo, & muliebris margine mitræ,
Deriuant geminos crinali è fonte Meandros,
Vt per vtramque genam bifidus deſcẽdat Hydaſpes
Spumans tempeſtate pari. ſunt quæ calamiſtris,
Et cincinnata calidi vertigine ferri
Torquent igne comam, vt mẽdacia nectat in orbes,
Et velut Eumenidum, viuos ſe criſpet in angues.
Hæc tolerãda forent: ſed quis ferat inſuper ipſæ
Quòd vetulæ tremulo ſtudeant in vertice canas
Occultare hiemes? liquido medicaris in oſtro
Canitiem? ſed iam dudum depreuſa tenetur
Hæc tua fraus, operis mendax, ars chymica anilis,
Argentum quòd vile comæ mihi vendis vt aurum.
Canities ita: caluities ſed nuda? alieni
Crinis adulterio tegitur; quæ cura? quis ardor
Quærere venales flauo de vertice meſſes?
Vix matura Deo, votorum ſtamine terno
Se religat virgo, vix dites forfice ariſtas
Meſſuit; enutrita diu ſeges aurea frontis

Mille habet emptores, ſolidoque appenditur auro.
Crediderim, vellent, pendere ex arbore plures,
Implicitos laqueis crinalibus Abſalones:
Aut inter ſeſe concurrere ſæpius Anglos
Bello, multiplicis Ganymedis vt inter aceruos
Barbara flauentes ſpoliet victoria frontes.
Iamne cadaueribus ſæuire imbellior audes
Fœmina? cæſariemque manu tractare cruentam,
Et capiti exanimes vmbras aptare? nec ori
Inſita, vicinæ commercia mortis abhorres?
O vtinam ad foueam Danielis Ephebus Olympi
Ferret ſæpe dapes, Abacuchi more prophetæ!
(Ipſe propheta forem) mulier ſic crine relicto
Plurima, præcipitem choream ſaltaret ab alto.
Iſta tamen rides, quia ſola voce iocamur,
Non pariter tactu: ſimul hæc comœdia non eſt,
Sed ſatyra: at Satyri manibus ſi prenſa fuiſſet
Sicelidum matronarum coma plurima per vim,
Quot caluas ſine crine ſuo irridere Coriſcas
Paſtoris fidi malè fidum drama dediſſet?
Hinc tot crine ſuper retinacula, retia, vittæ:
Hinc tot purpureis, ceu ſidera ſerica, vinclis
Captiuas cohibere comas; ne fortè relicto
Vertice, cæſaries Berenices, cedat in aſtra;
Digna, cometæ inſtar, crinitos cedat in ignes.
Verũ age, ſat capiti; ſatis vſque totondimus agnas:
Nunc mea fœmineos abrade nouacula vultus,
Non laquei excurſu, & coëuntis forfice fili,

Cuius

Cuius ope nimirum illæ, lanuginis umbram
Diuellunt carptim è facie: modò lucida ſit frons
(Tantus amor formæ) fili tortoris acutos
Diſſimulant morſus, & puncta minuta doloris.
Non ita; ſed ſpumante frices ſaponis, & undæ
Balneolo. renuunt? attritu pumicis ergo
Ceruſſæ cruſtas, & plaſmata rade coloris.
O formoſa, genas cui fucus inebriat artis,
Tot depicta, precor, mendacia ſubtrahe fronti
Iam ſemel, & viuam puro fonte ablue laruam:
Saltem linteolo lacrymas abſterge fluentes,
Aut permitte genis ſudorem excurrere, ſemper
Quem prohibes, nempe irrequieti frigore flabri.
Quæ noua tunc rerum facies? in imagine vera
Quæ noua mõſtra patent? mendacis ab iride formæ
Perſonata Helene fuerat modò, & ecce Megæra eſt.
At nigra ſum; niſi fœda etiam. nox viua decorem
Non minuit. ſic prima inter confinia lucis
Auroræ ambiguos decorat mixta umbra nitores,
Pallida ſum. permitto genas liniſſe veneno:
Reddita ſed ſolùm ſua ſit natura colori.
At color iſte, calor magis eſt? incendia quorſum;
Et geminas in vtraque gena torrere locuſtas?
Igne verecundo potiùs, facibuſque pudoris
Sit facies accenſa; oculus nec fulmina amoris
Accendat: ſed nube latens velaminis ignes
Arceat Idalios, contortaque tela retundat
Cautiùs; atque hoſtem ſic profligabit inermis.

DE

DE CHRISTI DOMINI CRVCIATIBVS, ET CAEDE.

ELEGIA PRIMA.

INcipe, quid ceſſas? dolor incipe, rumpe querelas:
Singultus, lacrymas funde profunde dolor.
Ceſſas? luctaris? refugis dolor? incipe: at vnde?
Qua forma? ordine quo? quid dolor incipiam?
Vane dolor, demens, excors, ignaue: quid? vnde?
Qua forma incipias? quo ordine quæris iners?
Rumpe moras, moreſque omnes perrumpe dolendi,
Quidlibet incipias, vt libet, vnde libet.
Nulla eſt forma meo patiendi, nullus Amori
Eſt ordo, omnia fert, pluraque ferret Amor.
Plura etiam ſi poſſet Amor poſt omnia ferret:
Quid? ferri nequeunt ipſa, ſed ipſe poteſt.
Materies omni prodit ſe parte doloris:
Vnus cuncta meo ſunt in Amore dolor.
Frons, oculi, vultus, aures, os, lingua, palatum,
Collum, humeri, palmæ, pectora, crura, pedes.
Dulcia quin etiam præcordia, dulcius & cor,
Vnus cuncta meo ſunt in Amore dolor.

Hæc

Hæc meus ergo videns dolor argumenta doloris,
Qua forma doleas, quo ordine quæris iners?
Ah leuiter quicunque dolet, dolet ordine: forma,
Ad ſpeciem tantùm qui dolet, ille dolet.
E corde, ex ore, ex oculis vnde vnde citatus,
Et violens exi præcipitansque dolor.
Si par materiæ prodis, nec forma, nec ordo
Quærendus: forma, ac ordine & ille caret.
Suſpice nunc cælum, terras circumſpice: nulla
Nunc cælo, & terris forma, vel ordo manet.
Extinctum extincto defiet Sol lumine Numen,
Et Soli flendum lumine Numen erat:
Flagitium indignans terras vlciſcitur æther:
Terra Deum perdit, perdit & ipſe diem.
Conuulſus tellus labat excita fundamentis,
Stare negat, nam quo nititur ipſa, labat.
Diſſiliunt vltrò lapides, lapidantque viciſſim
Seſe ipſi: ah! ſaxis nunc mage dignus homo.
Sed poſtquam dureſcit homo, tenereſcite ſaxa,
Cor lapidem ſumpſit, ſumite cor lapides.
Tuque profanato velum proſcindere templo,
Sacrilegos horrent iam ſacra Pontifices.
Exululate canes ſiluis, ruite æquore monſtra,
Ferales cælo ſtridite noctis aues.
Omnia in antiquum redeant chaos: ordine numquo
Auctorem perimit condita terra ſuum?
Sic cælum, & tellus, ſic totus lugeat orbis,
Abſque ullo hoc fas eſt ordine flere nefas.

Et

Et mihi nulla igitur flendi ſit forma, vel ordo,
  Culpa modum neſcit, neſciat ipſe dolor.
Quid doleã? extinctũne Deũ, an mea crimina? funus,
  An cauſam in tanto funere? quid doleam?
Et funus dolor, & cauſã confundat; vtrũque
  Non bene ſecernit, qui bene vtrumque dolet.
Ah! ego te clauo fixi, mea vita, trabali:
  Ah! ego pendenti crux tibi Chriſte fui.
Traijcit immani tibi cuſpide tempora vepres?
  Ah! qui te vepres traijcit, ipſe ego ſum.
Sæua bibère tuo de corpore flagra cruorem?
  Flagra videbantur, ſed mea vita fuit.
Ah ſitio exclamas: pietas ſuccurrit aceto,
  Sed tibi guſtato fel mea culpa fuit.
Quæris vbique aliquod, nec habes in morte leuamẽ,
  Flagitijs ego ſum pondus vbique tuum.
Figite me trunco, grauat hæc mea vita cadentem,
  Afflixo affixus fortè leuamen ero.
Diuidat ille ſuas ah! mecum in funere pœnas,
  Si culpas ſecum ſuſtulit ille meas.
Ambitio mea ſunt vepres, ſunt flagra voluptas,
  In quocunque meum vulnere crimen adeſt.
Figite me merito, mea crimina figite trunco,
  Ipſe ipſe hanc merui, non bonus ille trabem.
Figite in auerſa crucis ò me figite parte,
  Sic pariter fixos crux capit vna duos.
Aſpexit nunquam duo ſic contraria tellus,
  Aut vno aſpicient ſidera ſtare loco.

Frons

Frõs crucis hæc Chriſtũ, me frons crucis altera figet:
Nemo cruce hac melior, nemoque peior erit.
Nequam ego, ſed quamuis peruĩcam crimine cũctos,
Cunctoſque, & nequam me bonus ille feret.
Eridanum ſuperent, ſuperent mea crimina Nilum,
Quolibet ille bonus grandior Oceano eſt.
Huc ego cum toto ſcelerum ſi deferor amne,
Hic nullum ſcelerum iam mihi nomen erit.
Eluet illa meis & me cum ſordibus vnda,
Quanta eſt! & gutta eſt illius vna ſatis.
Sed figit me nemo cruci, mihi parcitis omnes,
Quiſque inſtat, parcit figere nemo Deum.
Siſtite carnifices, abſiſtite; barbara, vecors,
Sacrilega, immanis, perfida cede cohors.
Tune Deo? date nunc lapides, date tela, date ignes,
Hæc ſegni aſpiciam lumine? tune Deo?
O cælum, ò ſuperi, nunc degere tempus in vmbris?
Nunc vacuam decet in luctibus ire diem?
Si licet iraſci, quæ poſtulat æquior iram
Cauſa? Dei lictor eſt morientis homo.
Quos fulmen, ſi nunc ceſſat, ſeruatur in vſus?
Si nunc pigra ſilent nubila, quando tonant?
Flagitio nunquam maiore laceſſijt Orbis
Monſtrifera in ſeſe vindicis arma poli.
Grandine ſaxorum pluit olim, & ſanguine, monſtris
Eligite ò tantis tempora Cælicolæ.
Nunc necis infandæ tempus lapidare miniſtros,
Sanguine nunc mergi digna cruenta cohors.

Quòd

Quòd ſi vos aliter ſtatuiſtis in æthere Diui,
Ipſe ipſe infandi funeris vltor ero.
Saxa, cruorque vacent, ceſſent & fulmina cælo,
Sunt mihi, ſunt etiam fulmina, ſaxa, cruor.
Magnus amor, magnus furor eſt: non arma furenti,
Non vires deſunt, vim dat, & arma furor.
Et vires, & tela furens amor ipſe miniſtrat,
Vis amor, & telum eſt ipſe in amore furor.
Ah! fugite hinc, veſtri fugite hinc in Tartara Regis,
Numinis hinc veſtri cedite carnifices.
Quo primùm hoc ferrũ iugulo, quo sãguine mergo?
Cui cor auulſum è pectore dilacero?
Quas meto ceruices? quibus extraho viſcera? rictus
Quos ego, quæ paſco roſtra cadaueribus?
Sampſonem explebo, vacet ad ſpectacula cęlum,
Vlciſci Numen ſit labor iſte meus.
Clade tegam campos, turbabo ſanguine riuos,
Omnia nunc clades, omnia ſanguis erunt.
Sed me quò furor abripuit? vox Numinis aures
Verberat ò quanto mitior illa meas!
Da Pater ah! veniam, veniam Pater hoſtibus oro.
Extremum hoc moriens flagito, da veniam:
Crimine quo tanto ſoboles furat impia, neſcit:
Tanto, ſi ſciret, crimine non fureret.
Num tua ab ignaris Pater exiget vltio pœnas?
Sed lex ignaros num putat vlla reos?
Parce ah! parce Parens, veniam Pater oro, ſuprema
Hæc vox, hoc votum in funere, da veniam.

Hinc

Huc ades, à quo te profugum tuus error Iuda
Abſtulit; huc quamuis latro, rebellis, ades.
Inuenies veniam, venias modò, latro, rebellis;
Vt venias (audis?) te venia ipſa rogat.
Perfide contemnis, vultumque & lumina torques?
Gliſcit adhuc animis, & fremit ore furor?
Et pede tellurem pulſas, & pectora palmis,
Atque huc, atque illuc iſque rediſque furens?
Quid loqueris veſane? actū eſt, ſcelus omne peractū
Heu ſcelus (eſt inſons qui perit ille) meum! (eſt:
Ah! fuge, ſiſte, late: fugio? quò? ſiſto? vbi? quæ me
Accipiet profugum terra, vel aſtra tegent?
Nunc video, modò cæcus eram: ſcelerata cupido
Argenti vſuram luminis abſtulerat.
Nunc pudet heu! pretii, ſceleris nunc pœnitet acti,
Serò tamen tædet, ſerò vtriuſque piget.
Tam vili mercede Deum potuiſſe paciſci?
Sed mihi non porrò tunc erat ille Deus.
Crimine nunc illum cogor tortore fateri,
Nunc illum proprio in crimine cerno Deum.
Infame argentum, pretium tu vile Tonantis,
Tu pretium Iudæ par morientis eris.
Te mihi qui dederunt, habeant; cumulata, recepto
Te, ſua nunc habeant gaudia Pontifices.
Perfidiæ hunc poterunt forſan ridere furorem,
Forſan & illorum mors mea riſus erit.
Sic merui, ſceleris nemo miſereſcere tanti,
Flere meas nemo debet ad inferias.

Cælumque, & terra, [illegible] hoc, atque omnia tanto
Perfidus infeci ſęcula flagitio.
Eſſe locum veniæ credam? locus attamen eſto,
Hanc ego num valeam poſcere, & ille dare?
Non locus eſt veniæ, pœnam mea crimina poſcunt;
In tanto pœnam crimine poſco parem.
Vos Erebo afflatum, vos hunc explete furorem,
Et Iudæ ò Furiæ mittite carnificem.
Tiſiphone, Alecto, ceſſatis, Erinnyes? an me,
Me mihi conſtituunt Tartara carnificem?
Sic eſt, ſic fas eſt, fas hoc & Tartara poſcunt,
Tam nequam, ſolus par ſibi lictor erit.
Terra vale, fuimus: pudet heu! pudet vſque fuiſſe:
Ah! pereas mecum tu quoque fama mei.
Inuiſam hanc animam cælo vos Tartara, veſtris
Et Furiæ dignam ſedibus accipite.
Audior, aſſultu trepidæ telluris Auernus
Annuit, & Iudam ſub Styga monſtra vocant.
Ibo, ibo, & numero non tantùm augere, ſed ipſas
Iam propero Eumenidas vincere criminibus.
Audiat hoc Orbis, ſerique timete nepotes,
Tænarijs Iudas additus eſt Furijs.
Hæc ait, & laqueo caput induit; & ſua pendens
In pauidam ruptus viſcera fundit humum.
Excipiunt animam lætantia Tartara, quantùm
Lętari luctus hoſpita Regna queunt.
Penderet vt pœnas, infelix ipſe pependit,
Pendit & hæc Iudæ digna ſtatera nefas.

Diſci-

Diſcite Pontifices, exemplo diſce nefando
Quid tuus hic peccet, gens Solymæa, furor.
Ecquid adhuc perſtas amens, gaudenſque peracto
Crimine derides impia turba Deum?
Sed non videbis quandoque: i, perfure, clama,
In nos, & natos illius eſto cruor.
In nos, & natos cruor hic erit illius; & vos,
Et natos vindex obruet ille cruor.
Romuleis Aquilas labaris iam cerno: frementi,
Iam video, trepidum mugit ab hoſte ſolum.
Pulueris in cælum it nubes: ferit æthera fulgor
Telorum, ignivomis naribus hinnit equus.
Obſeſſis miſeram prior intrat mœnibus vrbem,
Et furit imbelli clade cruenta fames.
Inteſtina premunt te prælia: viſcera campus
Sunt belli: ſupplet tela, faceſque fames.
Atque erit in gnati genitrix quæ ſæuiat artus,
Figat & infami viſcera adempta veru.
Torrida mox auido (genitrix heu barbara!) dente
Membra, perire fame dignior ipſa, voret:
Et ſoboli fiat miſerantibus ilibus vrna,
Molitor vitæ qui fuit ante, ſinus.
Nec famis hoc tantùm morieris funere ſurdo:
Ingruit ò quantus, quàm ferus ecce fragor!
Panduntur fracto diuulſæ à cardine portæ:
Cum pedite armato ferreus intrat eques.
Agmina fluuiorum ritu torrentia tantæ
Non capiunt vrbis compita, templa, domus.

Romanus ferro, iugulis tu bella mouebis,
Et numero, & forma qua volet ille, cades.
Ciuibus & rami deerunt pendentibus: vrna
Nulla, vel aggeſtis vrna eris ipſa tuis.
Turrigeris fruſtra muris, Temploque ſuperbis,
Hoc olim & Templũ, & mœnia campus erunt.
O Solyma, ò Solymæ nomen lacrymabile! ſed nec
Te quondam (infelix!) qui fleat, vllus erit.
Arietat extincti crux hæc tua mœnia Chriſti,
Te cruor hic mergit, mortuus hic perimit.
Flete nurus Solymæ, veſtra hæc plorate puellæ
Fata, ſonent vobis pectora tunſa manu.
Nũquam veſtra ſolo ſemel vrbs labefacta reſurget,
Veſtra hic quem perimit gens, rediuiuus erit.
Magna habet, infandum quamuis, ſolatia funus
Numinis, extincti mors erit illa breuis.
Mors erit illa breuis, mortem & breuis illa perennẽ
Æterno domitam funere conficiet.
Mille reuiuiſcent, vno pendente, ſub auras;
Exuta, & ſpolium mors morientis erit.
Sed te quæ clades terris, Acheronte ſub imo
Quæ Solyma, heu nullo funera fine manent!
Quàm carò expleta inuidiæ tam pauca voluptas
Stabit! hic ipſe ſui, qui perit, vltor erit.
Hæc Solymę matres, hęc vos plorate puellæ;
Vos flete, & vobis pectora tunſa ſonent.
Sed laniata comas, & fœmineo vlulatu,
Quò furibunda ſuo Magdala amore ruit?

Non

Non exhorret equos, equiteſque, aut arma, vel iram,
Quæ pluſquàm triſidas mittit ab ore faces.
Accelerat ſtimulis, & viribus inſtat amoris,
Præbet amor ſenſus, verba miniſtrat amor.
Hunc ego te Ieſu aſpicio? tune illa ſalutis
Spes, ait, & columen, fons, & origo mea?
Tu medius pendes inter, mea vita, latrones?
Te claui terebrant? tu trabe fixus obis?
His ego perfudi lacrymas, his oſcula plantis
(Sanguinis heu! duo ſunt flumina) mille dedi?
Venature feram hanc, telis iaculator Amoris,
Quò non vrgebas irrequiete pedes?
Tu nunc dulcis Amor, veſani prӕda furoris
Tam multo moreris vulnere? vulnus obis?
Proluit hos fracta nardus mea pyxide crines:
Heu coma nunc tabo ſordet vt illa ſuo!
Illa meum illacrymans vox fratrẽ exciuit ab vrna,
Vox nunc illa ſuo in funere muta ſilet.
Illa ſerenabant cum cælo lumina terras.
Nunc propriæ inuoluunt omnia nube necis.
Teſtis quӕ periјt, teſtis lux ipſa diei,
Et ſqualens tenebris terra, poluſque ſuis.
O homines, ò non homines, ſed monſtra, ſed angues,
Sed Furiæ, & ſiquid ſub Styge dirius eſt!
Largus erat Charitum, quid in illo plectitis? ecquis
Artificem propriæ barbarus odit opis?
Aſpicite hunc ſaltem, quibus eſt lux reddita, cӕci,
Agmina firmatos clauda citate pedes.

Romanus ferro, iugulis tu bella mouebis,
Et numero, & forma qua volet ille, cades.
Ciuibus & rami deerunt pendentibus: vrna
Nulla, vel aggeſtis vrna eris ipſa tuis.
Turrigeris fruſtra muris, Temploque ſuperbis,
Hoc olim & Templũ, & mœnia campus erunt.
O Solyma, ò Solymæ nomen lacrymabile! ſed nec
Te quondam (infelix!) qui fleat, vllus erit.
Arietat extincti crux hæc tua mœnia Chriſti,
Te cruor hic mergit, mortuus hic perimit.
Flete nurus Solymæ, veſtra hæc plorate puellæ
Fata, ſonent vobis pectora tunſa manu.
Nũquam veſtra ſolo ſemel vrbs labefacta reſurget,
Veſtra hic quem perimit gens, rediuiuus erit.
Magna habet, infandum quamuis, ſolatia funus
Numinis, extincti mors erit illa breuis.
Mors erit illa breuis, mortem & breuis illa perennẽ
AEterno domitam funere conficiet.
Mille reuiuiſcent, vno pendente, ſub auras;
Exuta, & ſpolium mors morientis erit.
Sed te quæ clades terris, Acheronte ſub imo
Quæ Solyma, heu nullo funera fine manent!
Quàm carò expleta inuidiæ tam pauca voluptas
Stabit! hic ipſe ſui, qui perit, vltor erit.
Hæc Solymę matres, hęc vos plorate puellæ;
Vos flete, & vobis pectora tunſa ſonent.
Sed laniata comas, & fœmineo vlulatu,
Quò furibunda ſuo Magdala amore ruit?

Non

Non exhorret equos, equiteſque, aut arma, vel iram,
Qua pluſquàm trifidas mittit ab ore faces.
Accelerat ſtimulis, & viribus inſtat amoris,
Præbet amor ſenſus, verba miniſtrat amor.
Hunc ego te Ieſu aſpicio? tune illa ſalutis
Spes, ait, & columen, fons, & origo mea?
Tu medius pendes inter, mea vita, latrones?
Te claui terebrant? tu trabe fixus obis?
His ego perfudi lacrymas, his oſcula plantis
(Sanguinis heu! duo ſunt flumina) mille dedi?
Venature feram hanc, telis iaculator Amoris,
Quò non vrgebas irrequiete pedes?
Tu nunc dulcis Amor, veſani præda furoris
Tam multo moreris vulnere? vulnus obis?
Proluit hos fracta nardus mea pyxide crines:
Heu coma nunc tabo ſordet vt illa ſuo!
Illa meum illacrymans vox fratrē exciuit ab vrna,
Vox nunc illa ſuo in funere muta ſilet.
Illa ſerenabant cum cælo lumina terras.
Nunc propriæ inuoluunt omnia nube necis.
Teſtis quę periјt, teſtis lux ipſa diei,
Et ſqualens tenebris terra, poluſque ſuis.
O homines, ò non homines, ſed monſtra, ſed angues,
Sed Furiæ, & ſiquid ſub Styge dirius eſt!
Largus erat Charitum, quid in illo plectitis? ecquis
Artificem propriæ barbarus odit opis?
Aſpicite hunc ſaltem, quibus eſt lux reddita, cęci,
Agmina firmatos clauda citate pedes:

Et quibus abiecto dedit exiluiſſe grabato,
Et queis audire, & queis dedit ille loqui.
Agmine conſerto medios intrate per hoſtes,
Vos, quanquàm cæcus, viderit ille furor.
Dicite, ſi video, lux hæc eſt munus Ieſu;
Si gradior, moriens reddidit iſte pedes.
Si loquor, hic mutæ ſoluit mihi vincula linguæ,
Audio, poſtquàm aures contigit iſte meas.
Inualidis fuerunt mihi membra trementia neruis,
Nunc firmis, dante hoc, artubus ingredior.
Hæc mihi lux oculos, hæc corda reliquerat aura;
Aſt ego ſub gelido marmore putris eram.
Hic oculis lucem, cordi hic mihi reddidit auram;
Paruit huic feretrum, paruit huic tumulus.
Mille meo Ditis ſtabulabant pectore monſtra,
Pellente hoc, monſtris pectora noſtra vacant.
Iudicio bene qui veſtro ſic omnia fecit,
Quærite, flagitio quo perit ille reus?
Sed metus eſt fari coram, ne rumpite voces:
Vos modò gens videat perfida, eritque ſatis.
Ah! tibi non fuerat ſatis hoc, mihi viuere? tali
Debueras pro me funere Chriſte mori?
O Ieſu, ò rerum vigor, ò mea vita, meum cor!
Viuere te Vita quis pereunte poteſt?
Vita perit? pereamus: vita decedit? eamus:
Vita, & Amor moritur? viuere cui ſit amor?
Cui viuam, mihi ſi moritur mea vita? recedit
Iam mihi lux oculis, lumen, & aura vale.

At

At tibi quis Virgo interea, quis pectore ſenſus?
Si quiſquam attonito in corpore ſenſus ineſt.
Eſſe putem marmor? ſed non dant marmora queſtus:
Non lapis illacrymat, nec dolet vlla ſilex.
Viuere te credam? gelido ſed pallor in ore,
Et ſtupor in membris funeris inſtar ineſt:
Saxea ad officium vita es, ſed viua dolori:
Sic moriens viuis, viuaque ſic moreris.
Aſpicis, & totum Nati bibis ore dolorem;
Et corde, in membris quæ gerit ille, geris.
Sunt illic alapæ, ſunt illic ſputa, flagella,
Et cum ludicro murice arundo leuis:
Feraleſque rubi, & claui, & funeſta ſub illo
Arbor, fel, cuſpis poſthuma corde latent.
Illic immoreris morienti, & funere cordis
Vitæ hominum, immoriēs, tu quoque Virgo faues.
Annueras Nato venturo nempe ſub auras,
Et puri fœtum ſanguinis annueras.
Nunc etiam, tali nece cùm perit, annuis; orbi
Et natum donas, viuat vt ille, tuum.
Tu quoque funeſta penderes arbore, mundi
A te penderet ſi moriente ſalus.
Tu tamen in Nato pendes pendente; tibique
Plus illum eſt, quàm ſi tu morerere, mori.
O matrem! ò natum! ò magni duo monſtra doloris!
O mage monſtroſo natus amore dolor!
Plus hominē, quā ſe Genitrix; plus Natus amauit:
Plus illos, quàm ſe, non redamauit homo.

Scilicet hoc deerat diuino in funere monſtrum,
Numen amans pro me non redamante mori.
Ah! ego te redamem vità, te funere Ieſu,
Teque vt amans moriar, ſit mea vita mori.

DE CHRISTI DOMINI
CRVCE,

Quam oleaginam fuiſſe cenſet Poëta.

ELEGIA SECVNDA.

ILla ego felices inter celeberrima ſiluas
Arbor, baccatis conſpicienda comis;
Naturę melior fœtus, cui contigit vni
Funeris expertes ducere poſſe dies:
Illa ego ſum nullis vnquam concuſſa procellis,
Docta nec annorum ſuccubuiſſe minis;
Turbine cùm ſęuo gaudens nimboſus Orion
Terruit, aut gelida nubilus imber aqua:
Grādine cùm terra, aut quateretur fluctibus æquor,
In media noſter cęde virebat honos.
Viuacis ſoboles oleę nempe haud magis orbi,
Quàm ſibi perpetuę ſymbola pacis amat.
Quàm nox cęca foret, tenebras niſi pellere noctis
Fas, oleo flammam conciliante, foret!

Sole

Sole diem, noctemque oleo luſtramus, oliua
Diuiſum imperium cum face Solis habet.
Et tamen eſt aliquid, quò ſe mea gloria tollat
Altiùs, & nubes imperioſa petat.
Sed quid ad extremę ſpectacula deſtinor horę?
Heu! nimis infando ſecta miniſterio.
Quippe mori ſegnis, multoſque intacta per annos
Pęne immortalem nutrit oliua comam.
Quid iuuat in ſiluis procero ſtipite naſci,
Si me de ſiluis barbara dextra rapit?
Infelix opibus tantis quid pręter honoris
Funus, & heu famæ flebile vulnus emam?
Pone modum furijs, & iniquis improbe curis,
Ah! nihil in curas deſidioſe tuas.
Iam lacrymis latè per aperta cadentibus ora
Sparſa mihi pingui membra cruore lauo.
Iam niger ore color, iam pallida mortis imago
Membra tegit, gelidus iam ſubit oſſa rigor.
Hei mihi! quid mentem funeſtum perculit omen?
Nempe crucem Domino lecta parare feror.
O vbi nunc rutilis vibratum fulmen ab aſtris?
O vbi diſrupta vaſtus hiatus humo?
Vrite funeſtæ noſtrum ſcelus, vrite flammę:
Expiet indignum pura fauilla nefas.
Quantum flagitij tecum, Vulcane, peribit,
Exures ſceleris dum monumenta mei!
Vos etiam glauca conſerta ò brachia fronde,
Et modò de pulchris ignea bacca comis,

Ite procul, iuuat incultis horrere capillis
Scilicet, & laceros explicuiſſe ſinus.
Ite agite in cinerem, & ſcelus hoc perſoluite flāmis,
Ah pudet, ah! culpæ ſic ſupereſſe meæ.
Sed quoniam noſtris parcunt incendia votis,
Nec datur in rapido protinus igne mori;
O vetis ambita meis ter amabilis vnda,
Accipe me, gremio ſimque carina tuo.
Parcitis ambo elementa mihi: quidni vltrò volētem
Neptunus lympha, aut Mulciber igne petit?
Ipſa meo ergo crucem Domino iam reddere cogor,
Heu pudet! infandæ lecta miniſtra necis.
Aſpicio miſeranda tui ſpectacula lethi,
Dura lego manuum vulnera, dura pedum.
Quàm multis tua terga labāt diſciſſa flagellis:
Decidis, & crebro vulnere corpus hiat.
Me miſeram! vicina patent inuenta doloris,
Ah quoties illic Chriſte dolendus eris!
Fluctuet Oceano lacrymarum naufraga Tellus:
In fletus Orbis, ſi licet, omnis eat.
Ah, ego ne videam talis ſpectacula pompæ,
Quàm cupiam vitæ rumpere fila manu!
Vos ò Cælicolæ diros prohibete furores,
Vos decet æternæ ferre ſalutis opem.
Heu crudele nefas! videt hæc ſpectacula cælum:
Heu! fuit hæc oculis debita ſcena meis?
Effluit è venis roſeus cruor, effluit vnda,
Et tandem infixus clauibus hæret Amor.

Seu claui fixere pedes, prœcordia ſenſi
Fixa, dolens manuum vulnera ſtipes, habet.
Seu mouet inſanus crudelia brachia miles,
In me etiam miles brachia dura mouet.
Impia vix ferro radiduerat haſta coruſco,
Arboreumque prius fixerat haſta latus.
Ipſa meo ergo crucem Domino iam reddere cogor:
Heu pudet! infandæ lecta miniſtra necis.
Mene ego conſpicio mortis ferale trophæum?
Mentior, an vitæ ſcena beata meæ?
Me feretrum ferale vocat gens dura Sionis,
At mihi vitalis vena ſalutis ineſt.
Neglectum terris, ſpectaclum nobile cæli
Vexillum, ſub quo Tartara victa tremunt.
Picta theatra mihi deinceps pius eriget orbis,
Eriget æternis aurea templa focis.
Solaſ ſuas cui perpetuò cremet India odores,
Maſcula cui ſemper thura miniſtret Arabs.
Iam mihi ſe portis aperit bipatentibus æther,
Et reſerat firmas Numinis aula ſeras.
Fas mihi, fas longum ſedes habitare micantes,
Æternùmque mei Numinis ore frui.
Terra vale, me magnanimi vocat aula Tonantis,
Quid mihi cum patrio littore? terra vale.

DE

DE TABVLA PICTA,

Panormo in Hiſpanias tranſuecta: vbi Chriſto Crucem humeris ferenti Mater obuiam veniebat.

ELEGIA TERTIA.

Expreſſam coloribus effigiem Chriſti Ieſu, geſtantis humero noſtra ſcelera, Crucem ſuam è ſuburbano (vbi religioſè colebatur) Sancti Spiritus templo, accedentem propiùs ad Pietatis Auſtriacæ Regiam, adeòque Dominam Majeſtatem, Elegiaca poëſi, hoc eſt imparis carminis claudicante pede proſequimur: quia fortaſſe tot cruciatibus Amoris noſtri impar ſine dubio eſt commiſerationis noſtræ ſocialis dolor. Hodierni verò carminis mens eò potiſſimum, imò vnicè ſpectat; vt, quandoquidem eius depictæ tabulæ ſpecioſiſſimum decus, non minus vetuſtatis monumento, quàm operis artificio pretioſum, cùm gratiſſimi noſtri Regis amore, erga Vrbem excitando, commutamus; bene compenſata per id fœnoris iactura, illud inſuper lucremur, penicilli noſtri, hoc eſt carminis beneficio; vt nimirùm primigenio illo tantæ Iconis exemplari, viuis quoad fieri poteſt Poëſeos coloribus expreſſo,

preſſo, ac retento apud nos, dum tabulam mittimus, non amittamus imaginem. Nec minui propterea donum credimus, quia datur ſimul, ac retinetur: induſtriæ enim beneficio potius, quàm auaritiæ vertendum eſt vitio, poſſe ſimul donaria à pluribus poſſideri. Atque vtinā quæ olim eius artificis manibus, eadem mihi fœcunditas vigeret ingenij, vt, quemadmodum ille coloribus ſuis voces fermè; ita eius ego colores viuis vocibus animarem! Eſſet profectò cur inter innumeras eius tabulæ imagines poſthumas, ac, bene reſpondēte colorum fidelitate, ab exemplari originario ſimillimè redditas, aduſque fallaciam oculorum; eſſet inquam, cur hanc etiam effigiem noſtram, expreſſam carminibus, vt ita dicam, verſicoloribus, repleta fortaſſe veſtrarum aurium nauſea minimè faſtidiret. Sed quoniam commune illud infortunium eſt Pictoribus, atque Poëtis, vt eos pro viribus imitandi omnes teneat cacoëthes, ita etiam Muſas ingenita imitandi procliuitas incitauit, vt coloribus expreſſos, ſed imprimendos animo, Dei cruciarij angores vocalibus hiſce lineis adumbrarent. Recurrente præſertim repertæ Crucis celebritate annua, cùm ſcilicet id edocemur omnes, quotquot iuuat in Cruce Numinis gloriari,

vt

vt ſiqua fortaſſe litura criminis, deletam animo Crucis imaginem deformauit; ad reſtaurandam ſibi iterũ, dolentis veſtigia Seruatoris inſpiciat animus, ad exemplar, quod in Caluariæ prius, nunc verò Parnaſſi in monte monſtratum eſt.

CARMEN.

PRiſca hominum dubios ſententia traxit amores,
Liſque ſub incerto iudice pendet adhuc;
Dum geminæ ſtudijs vtrinque fauentibus artes
De generis certant nobilitate pares.
Clarior Ars, ſcalpri quæ vulnere ſaxa figurat,
An quæ dat tabulas penè colore loqui?
Hæc miſcet ſi bella coloribus, exprimit iras,
Pallentemque metum, & funera viua parit.
Si tumidos fluctus, pelagique pericula; tutus
Ipſe licet, picto à funeris ore times.
Si bene mentitos color aridus exprimit ignes,
Iam prope ſentitur feruidus ipſe calor.
Ipſa rubet grauida autumno vindemia dulci,
Sæpe vt Apelleas fallere certet aues.
Quid tamen hæc artis ſpectra, ac præſtigiæ inanes?
Ficta, animo, & carnis corpora mole carent.
Plana ſuperficies tabulæ mendacibus vmbris,
Et vacuis oculos ludit imaginibus.
Scalpra animant ſolidos de marmore corporis artus,
Vt tumeant membris corpora plena ſuis.

Si

Si viuant ſcalpri per vulnera fortè leonis
Horrenteſque vngues, armaque aperta famis;
Prominet indomiti furor igneus, iraque monſtri
Ore auido, vt metuat ludere cauta manus.
Miſcet bella: acuit veris mucronibus enſes,
Hoſti aperit miles vulnera, vulnus hiat.
Haud ſpecioſa tegit mendacia, iudice tactu,
Semper vtrinque animo, & corpore viuit opus.
Ergo marmoream ſua gloria, ſeu fauor artem
(Quo de cunque olim fonte petatur honos)
Anteferat tabulis; tamen Ars plus inde preibit
Sculptilis, & ſurget grandius inde decus,
Materies quòd mole grauis ſibi pondere amico
Poſſe loco auferri, ſi velis ipſe, nequit.
Atque vtinam fixo riguiſſet marmore imago,
Aut ſiqua eſt grauior marmore materies!
Sed leuitas tabulæ, & facilis vectura colorum
Allexit meritas ad pia dona manus.
Dona neganda alijs, ſed Ibero danda Tonanti,
Digna Philippe oculis, & pietate tua.
Parta tibi, nullos acuet iactura dolores:
Sat mercedis erit regius Vrbis amor.
AEqua regit Siculo qui ſceptra vicaria regno,
Iure has offerri ſponte meretur opes.
Ite, agite, & volucres pennas aptate colores,
Vrbs dabit ipſa ſuam, qua volitetis, auem.
Sicelidos quà ter felix Regina Triquetræ
Explicat ingentes aurea concha ſinus,

Vndi-

Vndique prærupti montes, ceu clauſtra, coronant
Mœnia, & amplexus ambitione fouent.
Planities nemoroſa intus, quam vere perenni
Et viui fontes, & Zephyri aura colit.
Haud procul vrbe amni, miti per gramina lapſu
Voluit Hydaſpeas flauus Gretus aquas,
Hinc atque hinc pendens ripa;at qui plurimus amni
Imminet, apricis margo recumbit agris.
Hic vetus Auſonia de maieſtate ſuperſtes
Templum ingens, patrium tollit in aſtra caput.
Interior longo domus ordine fulta columnis
Pandit adorandos in ſacra membra ſinus.
Structa ſuis vtrinque patent altaria Diuis,
Diſpoſitos ficto vere onerante gradus.
Marmoreo pia buſta vtero amplectentia mortes,
Scripta ſepulchrali funera honore docent.
Poſt adytum templi penetrale ſedilia circùm
Lignea, nocturnas docta referre preces.
Hæc Benedicte tuis domus hoſpita Oloribus, albos
Qui mores, habitu candidiore regunt.
Fama eſt cùm Vaticana Pater arce ſederet
Magnus re, Magnus nomine Gregorius;
Ipſe Panormeos matris de ſanguine amores
Corde fouens, ſacra ad munia largus opum,
Prima ædis poſuit fundamina,lingua ſuperſtes
Excſi vt loquitur marmoris ante fores.
Ergo hic effigies in vertice principis aræ,
Pictum artis, viuum ſed pietatis opus,

Deuo-

Deuotum morti malè viuum animarat Amorem,
Exanguem gemino ſub crucis axe Deum.
Tergora diuini defeſſa premebat Atlantis
Impar onus, magis at viribus impar Amor.
Haud picta eſt, ſcelerum fabricata eſt ſarcina dorſo.
Quàm grauior cruce, quàm grandior orbe fuit!
Genua, gradu titubante, ſolo glomerantur, onuſtum
Supra humerum ipſum etiam præcipitatur onus.
Corporis occidui ſerò fultura ruinam
Suſpenſa eſt vacuis nixibus ægra manus.
Arida labra ſitire ipſo creduntur hiatu,
Defeciſſe oculos lux hebetata docet.
Pingere nec ſatis Artifici, vel pungere acutis
Ille dedit veprium tempora cuſpidibus.
Hinc frons ſanguineis horret ſulcata fluentis,
Pendula vbi prono gutta cruore tremit.
Quiſque color, dolor eſt lacrymabilis, & dolus artis,
Vt ſigna auritis muta ſonent oculis.
Ille hic diſcipulus, quem Chriſtus amabat, edentis
Qui ſupra Domini pectora diſcubuit;
Succubuiſſe cruci nunc, atque vicaria mallet
Terga fatiſcenti ſuſtituiſſe Deo.
Id deſiderium ſimul exprimit, & premit arte
Ars bene diſſimulans quam dare vellet opem.
Scilicet ex odijs quis amoris viſcera Chriſto
Impetret, Atlantique Herculis officia?
Si Cyrenæo fulcra auxiliaria dorſo
Dantur, inurbana eſt, quæ fit ab hoſte ſalus.

Ex-

Exoneratum ipſa tergus lenitate grauatur,
  Ipſaque viuendi fœnora funus alunt.
Impia ſic pietas, benefacta nocentia, nempe
  Ne crux ipſa crucis funera præcipiat.
Matrum turba ſequax lamenta ita viua ciebat,
  Vt prope ſingultus, verbaque picta ſonent.
Interrupta labris ſuſpiria acutior auris
  Audiat, aſt tenui languida voce cadunt.
Virginis exanimi ſtupeat niſi lingua dolore,
  Pęnè locutura eſt: ſed ſilet, ægra ſilet.
Ipſa tamen tacito ſunt viua ſilentia ſenſu,
  Solùm deliquio mortua tela ſuo eſt.
Vda oculos vero lacrymatur Magdala fletu,
  Lacryma ficta, at non fictus in ore dolor.
Sueta alabaſtra gerit tumulo reſeranda, licet ſit
  Clauſus adhuc, picta è pyxide fragrat odor.
Cura ſed exardens Berenices colligit oris
  Linteolo pulchram in ſordibus effigiem.
Poſt tabulam ſuus hic operis latet auctor, ades iam
  Cenſor, & artificis corrige, & artis opus.
Hæcne hominis facies humana in imagine? detur
  Sed vitio, cæcus quòd malè pingit Amor.
Quam tamen illa manu, hanc facie gerit ille figurã,
  Ipſe ſibi eſt ſimilis vultu in vtroque Deus.
Carbaſa Romanus vexillifer aëre aperto
  Ventilat, acris equi terga ſuperba premens.
Carbaſa mobilibus criſpat dum flexibus aura,
  Sæpe latent Latijs lemmata ſcripta notis.

Indę

Inde tubas animat vir Martius ære canoro,
Quamuis picta, tubæ carmina mæſta ſonant.
AEre equus audito generoſior arrigit aures,
Hinnitumque daret, ſi fremat alter equus.
Ferrea vimineo necis inſtrumenta quaſillo
Dextra, colorato feſſa labore, gerit.
Inſtat anhelantem ſtimulis vrgere ſatelles,
Sollicitatque haſtæ cuſpide, & ore moras.
Impatiens ille irato rubet igne, ſed iræ
Non color ipſe, fero pingitur ore calor.
Tam valido miles conatu ſtupea collo
Vincla trahit, luctans vt moueatur onus.
Surge, age, quid luctaris Amor ſub pondere? quidni
Planta gigantæis greſſibus haurit iter?
Hæccine vota, pigros damnantia Solibus annos?
Hæc deſiderijs tædia longa tuis?
Hei mihi! quis tardo calcaria ſubdat Amori?
Haud vnquam eſt ægris viribus æger Amor.
A planta pedis ima ad verticis vſque cacumen
Pars nulla in lacero corpore cæde caret.
Vulnera vulneribus ſunt inſita, ſanguine ſanguis
Concreſcit, plagis plaga, dolore dolor:
Et tamen extremas reliqua ad conamina vires
Iam reuocare ægro è corpore ſuadet Amor.
Et mors fortis Amor, breuis eſt via mortis Amori,
Sic trita aſperior ſemita mollis erit.
Vltrò curremus tua poſt veſtigia odorum,
Saucia ſi cœlo lactea facta via eſt.

Perge modò ad collē myrrhæ, ad iuga thuris; amanti
Pandit vbi optatos mors tibi ſponſa ſinus.
Nigra eſt, ſed formoſa: oris nox vlla decorem
Non violat, ſponſa & ſanguinis illa tibi eſt.
Nempe ſepulchrali laxabit viſcera partu,
Ante nouerca hominum, mors modò mater erit.
Tu tamen è tabulæ decus, ac dolor, hoſtia mortis
Picta, ſed vſque neci proxima, & vſque procul,
Abſq; pede hinc gradere, at pro funere muneris imple
Officium, æternos viuere digna die:
Cùmque tuum lambet regalis lingua vepretum,
Fac rogo Nazareas colligat ore roſas.

IN OBITV, atq; ASSVMPTIONE

VIRGINIS

DEIPARAE

ELEGIA QVARTA.

ARGVMENTVM.

TRiumphum VIRGINIS rediuiuæ lacrymis, ac querimoniis funeſtare, importunam fortaſſe inuidentiam redoleret; niſi dandum eſſet etiam aliquid orbitati ſu-

perſtiti bene dolentium pupillorum. quibus quidem amoris teneritudini vertendum potius fuerit, quàm philautiæ vitio, quod Genitricis (licet abſentis vtiliter) ægrè tamen deſiderium patiantur. Quemadmodum enim illa ita ad immortalitatem acceſſit, vt paulò antè è viuis exceſſerit: ſic etiã indignum omnino nõ duxerim, ſi ita Virgini gratulemur Imperium; vt & interitum ſimul, & rediuiui iacturã corporis non niſi poëticè doleamus.

CARMEN.

SIngultus, lacrymæ, ſuſpiria, vota, querelæ,
Pectore, corde, oculis, ore tacetis adhuc?
Sæue dolor cunctaris adhuc? piger, improbe ceſſas?
Materiæ vt doleas par, ſine lege dole.
Extinctam flemus, dulci ſed cuſpide Amoris
Matrem hominum, cordis gaudia, & orbis opem.
Phœbe parentales pro carmine ſuffice queſtus,
Nec me Pegaſei proluat vnda pedis.
Nolo Hippocrenen, alios dolor elicit amnes,
Qui mea ſecreto vulnere corda ferit.
Solue moras, choreis ſeu te, tua gaudia, Muſæ
Implicitum, ſeu te Delphos amata tenet;
Virginis huc ades inferiis: heu! fallor. inani
(Me miſerum!) tumulo ſoluimus inferias.
Morſne parum fuerat? nec (quæ ſuprema voluptas)
Triſtitiam officijs fallere poſſe datum eſt?

Quid prius hic doleam, quid poſtea? funera nempe,
An raptas gemino funere relliquias?
Præſtat vtrumque ſimul confundere: cauſa dolendi
Bina alijs fuerit fortè, ſed vna mihi eſt.
Nec bene mens gemino diuiſa eſt vna dolori,
Creſcat ab alterutro iunctus vterque dolor.
Ergo age Phœbe, licet madeant tibi barbita fletu,
Vel madidam calido flumine tange chelyn.
Talis ades, qualem pullatum Golgotha vidit,
Golgotha acerba animo Matris amaritiès:
Nec iuuet Eois incendere pectora gemmis,
Aut cultam Aſſyrio mergere rore comam.
En mihi iam, diſcuſſa hedera, irrepſere cupreſſi,
Vernus ab incompto vertice fluxit honor.
Fœdari teneras ſcabra rubigine myrtos
Senſimus, inque comis nexa roſeta mori.
Quà iuga oliuiferi incipiunt ſubmittere colles,
Mollis apud Solyma rura recumbit ager.
Palladis hic, glauco veſtit qui germine collem,
Explicat albentes lucus ad aſtra comas,
Huic propior ſpecus eſt, torrentis & vnda Cedronis,
Et circumiecta in valle reducta quies.
Intus triſtè ſilet Phœbo non peruius horror,
Pallet vbi, excluſa luce, maligna dies.
Donec in antra itur ſinuoſis cæca latebris,
Antra diu gemitus docta referre meos.
Hic Gethſemanides, ſudoribus obſtupuerunt
Sanguineis diuas immaduiſſe genas.

Vnde cruenta rubet nunquam moritura roſarum
Purpura, flebilibus purpura ſcripta notis:
Puniceiſque ardent maculis, quæ frigida quondam
Saxa, genu, & prono triuerat ore Deus.
Hìc Superum in Regem Iſacidas fremuiſſe cohortes,
Armorum hìc ſegetem concrepuiſſe ferunt.
Vidit inexhauſtis ſitientia tela pharetris,
Et chalybis radios horruit ipſa Dryas.
Ergo hìc depoſitas poſtquam commiſimus vrnæ
Dulces virginei corporis exuuias;
Nequicquam mæſto de marmore diſcedentes
Deprenſi cæca nocte mei comites
Hortantur retuliſſe pedem: quæ inſana cupido eſt?
Queſtibus ecquis erit nocte cadente modus?
Ecquis erit modus his lacrymis? tua cura Virago
Aurea marmoreis greſſibus aſtra terit:
Succiſus tenui ceu flos argenteus vngue,
Cui forma, & nondum morte receſſit honor:
Vel qualis læſa Icario roſa languit æſtu,
Sic deſiderijs languit ipſa ſuis:
Iordaneſue illam tenuit, domus hoſpita Diuis,
Seu fouit roſeo Nazareth in gremio:
Semper ſurda auidis luſtrabat ſidera ocellis,
Sat diſtracta diu ſedibus è patrijs.
Nunc memor incedit ſuperas Regina per arces,
Vnde importunos deſpicit hos gemitus.
Eſtne amor in ſolidam queſtus producere noctem?
Rumpe moras, oculis parcito turgidulis.

Eſt hic, eſt aliquod lacero ſub pectore vulnus,
Noſque eadem amiſſa cura Parentis edit.
Manè nouo reſperſa die cùm prata rubebunt,
Tunc reduci ad tumulum fas remeare gradu.
Nil ago; nam mutas rumpenti in buſta querelas
Incluſit medio in gutture verba dolor:
Nec ſecus, & verba, & ſolatia amica morabar,
Ac Notus Aegæo in gurgite vota virum.
Nec valuere meis diuellere nexa lacertis
Vincula, & amplexus diſtrahere inde meos.
Sed tumulo acclinem, tumulo oſcula frigida lambētē
Auriſluam lacrymis mergere ceſar.em;
Atque oculos viſu, atque auidos explere dolores
Fletibus, (expleris ſi modò ſæue dolor)
Id miſero ſolamen erat. Quandoque metebam
Quicquid erat roſei, quicquid odoris erat:
Ipſe oleam, ipſe roſas, & lilia grata Parenti,
Queis gelido mollis texitur vmbra rogo.
Tunc populaturos quoties aduertimus vngues,
Lamberet vt tumulum, ver cupit omne mori.
Quin & odoratas legi de cortice myrrhas,
Quas ſilua exemplo eſt illacrymata meo.
Nempe nemus vacuum, taciturnaq; luſtra pererrās,
Impunè ad ſolas ſæpe querebar aues.
Ruris amica quies, & opaca ſilentia vallis,
Et quæ ſaxoſis vallibus vnda ſtrepis,
Dicite vos gemitus, & quas didiciſtis amores,
Siqua tamen gemitus conſcia planta mei eſt.
Quis

Quis locus, aut quæ planta mei non plena doloris?
Ipſa meis memini queſtibus antra queri.
Vos iuga, vos oleæ ſuſpirauiſtis ad auras,
Senſit Idumæum nubila noſtra nemus.
Ergo triſtè rubens ter duxerat Heſperus umbras,
Languida terque oriens aſtra fugarat Eos:
Sub lucem rura illa gemens de more vagabar;
Vt meterem, ruris ſidera odora, roſas;
Quas Aurora nouis iamiam ſparſura pruinis
Mirata eſt fletu præmaduiſſè meo.
Iamque terens bibulas rapidi Cedronis arenas,
Dum mea ſtellatis floribus antra peto,
Hæc mecum: Ille meam Vitam lapis, illa ſepulchro
Seruant delicias antra beata meas:
Iam redeo, procul à te animus vitalia linquit
Munia, partem animi dum tegis vrna mei.
Vix ea, cùm ſubitò pulcherrima Matris imago
Ludere vicinas cernitur inter aquas:
Virginis vmbra cadens, inuerſo corpore in vndis
Innatat, Aligerum ſepta miniſterio.
Nempe ſepulchrali ſurgens è marmore, nubes
Prætergreſſa, humilis deſerit ima ſoli:
Dumque beata ſubit Capitolia, imagine molli
Vda oculorum Echo membra reflectit aquis.
Obſequio ſinuoſa aperit ſua brachia Luna,
Amplexu dominos excipiente pedes.
Mancipat aſtra Polus capiti, duodenaque lambis
Oſcula virgineis ambitioſa comis.

Veſtis materiem, radios euiſcerat omnes
Phœbus, Arachnæ textilis artis ope.
Sic Virgo aſtra petit vacuas rediuiua ſub auras,
Abſentiſque redux vmbra ſub amne tremit.
Quàm prope, me ſummo deieci in flumina ſaxo,
Improuiſa oculos cùm ſtetit ante meos!
Atque vtinā! nunc fortè amnis mea nomina haberet,
Et memor agricola, & nauita ſæpe gemens
Diceret, ah! miſer ille nimis, mendacibus vndis
Credidit, ah! verè eſt (diſcite) cæcus Amor.
Cæcus Amor! malè cautus Amor! tatus ipſo dolentis
Lactari vanis lumina imaginibus.
Quicquid id eſt, quid Virgo fugis? quò flectis eburnumq;
Voluor, & iniectis ſterno fluenta rosis.
Illa, leuis ceu fumus, abit; nec tollere in altum
Succurrit (tulerunt ſic mea fata) caput.
Proſequor hinc ſurgens iter, & nil tale putantem
Excipit in tacito me ſpecus ægra ſinu.
Excipit heu qualis! venturi præſcia mens eſt,
Nam dubij titubant prima ſub antra gradus.
Subrepitque in corda pauor, viduataque mæſtos
Neſcio quos viſa eſt vrna dediſſe ſonos.
Tunc ego: quodcunque eſt omē, cita flumina rapiēt
Hinc procul, & ſecum ſub vada ſalſa ferant.
Inde vbi procubui buſtum ſuper, atque relictam
Vidi turbato ſindona ſub tumulo;
Vt vidi, vt perij! vt gelidos ſtupor alligat artus!
Vt rigui ad lapidem pronus, & ipſe lapis!

Cerni-

Cernimus? an facilis fingit mihi ſomnia mœror?
Quis mihi, quis miſero gaudia ſurripuit?
Ergo, non ſatis obductum, refricatur amanti
Vulnus, & ingeminat ſpicula acerbus Amor!
Et viuo? & nondum mihi lux inuiſa receſſit?
Durius eſt ipſa morte nequiſſe mori.
Ecquid reſtat adhuc? ad quæ noua fata reſeruor
Atra magis? nuper fleuimus exanimem,
Nec ſatis eſt? nec poſſe frui data copia membris?
Hæc mihi triſtitiæ dulce leuamen erant.
Hæccine lintea ſunt? his deſignata legebam
Lilia? Ver pereat, quicquid & Hybla parit.
Quę me ſerta procul carpendi inſana voluptas
Diſtulit, ætherei dum raperentur opes?
Ah! quoties ingreſſus iter preſaga reflexi
Lumina, & iniuſſos retuli ad antra pedes!
Sed quid ego arguerim flores? hęc fata dolori
Debita erant noſtro: tunc metuiſſe mihi,
Tunc decuit ſapere: at rapidæ nunc vota procellæ
Irrita diſcerpunt, vrnaque ſurda bibit.
Siccine? ſic ſeruas malè credita pignora rupes?
Fare agedum rupes perfida, Mater vbi eſt?
Hei mihi! dum lapidi clamo, lapis ipſe rapinæ
Neſcius, obiecta voce reclamat, vbi eſt?
Liuida Cælicolæ vos ô rapuiſtis in aſtra,
Aſtra nimis votis inſidioſa meis.
Tantum nempe decus Telluri inuidit Olympus:
Claude aditum, rupes perfida, claude fores.

Debu-

Debueras audere, poloque obſtare petenti,
Ne raperet tantas inſidiatus opes.
Deſereris vidua, & profugam patiere Parentem?
Nec ſequeris? nec habent ſaxa reuulſa pedes?
Nec mihi fas miſero fugientia Matris adempta
Corpora ſaltem oculis hinc potuiſſe ſequi?
Scilicet id ſatis eſt, oculos mihi paſcier vmbris,
Exhibuit picta quas modò flumen aqua?
Vos per ego, ſi qua eſt pietas, ad Virginis aures
Hæc, Superi, ſaltem verba referte, precor.
Mater (ni renuis) potuiſtin Mater amantem
Linquere? ſic omni è pectore pulſus amor? (bræ,
Te procul, & nemus, & fontes, & Phœbus, & vm-
Sunt & amara oculis omnia, crede, meis.
Quod ſupereſt, properēt precor ò mihi fata quietem:
Quid moror inuiſam, lux vbi rapta, diem?
Tu tamen alma ſpecies cælo mihi gratior, audi
Quæ mandem inferijs prauia iuſſa meis:
Qua pars ſola mei ſuperat poſt funera, chara
Matris apud tumulum membra iacere velim.
Et lapis oſſa ſuper deflens hæc verba loquatur:
Hic deſiderio Virginis occubuit.

LA-

LACRYMAE MAGDALENAE

IN SEPVLCRO.

ELEGIA QVINTA.

POETAE PROOEMIVM.

CAndidus auratis redeuntem cornibus annum
Ecce aperit mundo Taurus: deſcēdit in amnes
Iſmarus, ac ingens Rhodope, lymphaſque ſolutas
Hebrus agit glacie, liquiduſque hauritur Orontes.
Ipſe Aquilo Scythica concretus grandine pennas
Auolat, & raucæ remeant in clauſtra procellæ.
Ver oritur terris, puruſque recluditur æther,
Vnde tepens Zephyrus madidis adremigat alis,
Nectare odoratos afflans per prata colores.
Subſequitur redimita roſis gratiſſima veris
Mater, & aurato fertur per paſcua greſſu:
Quà graditur, turget Tellus in germina, paſſim
Diſcolor, & varias detrudit prodiga gemmas.
Rurſus apes ſaltuſque nouos, & olentia vallis
Pabula peruolitant, & roſcida munera carpunt.
Exercent cantus volucres, veteréſque querelas
Populus, aut toties repetitos audit amores.
Per pictos campos, & amictos gramine colles
Vnanimes errant Charites, & blanda voluptas,
Na-

Naiadumque inter luſus, Dryadumque Camœnas
Serta legunt, lymphis ludunt, fonteſque reuiſunt.
Fallor, an audimus? gaudet Parnaſſia rupes,
Intonſuſque lauat fœcundo in flumine crines
Phœbus, & Aonidum ſacra de vertice vulgus
Increpat, & pigro Perrhœbi in colle ſilentes
Ad cantum hortatur citharas, ad carmina Muſas.
Ite, ait, Aonides, vbi iam clementia cæli
Arridet terris, viridisque renaſcitur annus;
Dulcia formoſo perſoluite munera veri.
Dixit, & arguta pharetram ſuſpendit ab orno,
Et lentum fluitantem arcum: mox corripit auream,
Percurritque manu citharam, qua frenat aquarum
Curſus, permulcet Tigres, ſedatque tumultus
Ventorum, ſiſtitque vagas per inane volucres:
Nec mora, vocales reſonant noua carmina valles.
Protinus erumpunt doctæ de rupe puellæ,
Nec membris, Phœbo, formæ nec honore minores,
Argutæque nouem variant diſcrimina vocis.
Mox plaudunt pedibus, variaque in imagine gyros
Adnectunt, plectro choreas moderatur Apollo.
Inclinant pronæ frondoſa cacumina ſiluæ
Fortunatorum nemorum, Zephyrique loquaces
Rauca per intentos caſtigant murmura ramos.
Caſtalii crepitant latices, garritque Aganippe
Largior, vndantemque euertens prodigus vrnam
Olmius glauca conueſtit arundine ripas.
Calcari lætatur humus, calcata rubeſcit.

Præſ-

Preſſaque ſurgentes condunt veſtigia flores.
Hæc dum Mæonio ludunt de more puellæ,
Atque repercuſſi referunt noua gaudia colles,
Flebilis auditur gemitus, gemituque queruntur
Culmina, & attonitæ geminant ſuſpiria ſiluæ.
Extemplò è nemore extremo, quà lucus opacat
Myrteus, emergit ruptis Elegia querelis.
Non crines ſtellata roſis, hederæue corymbis
Tempora baccata. heu! laceri ſine lege capilli
Funduntur que humeris, marcetque in fronte cupreſſi:
Pallidulas violata genas, & lumina fletu
Turgida, narratura ſuos pullata dolores.
Reſtitit Aonidum thiaſus, miratur Apollo;
Et luctus cauſas, inter ſua gaudia, quærit.
Illa refert: Terris Aurora oſtenderat ortum
Aurea rorifluis tempora cincta roſis;
Cùm meditabatur feralem Magdala rupem,
Quà nuper iacuit caſus amantis Amor,
Ah miseræ qualis populatur cura medullas!
Quale ſub exhauſto pectore vulnus alit!
Tota abit in lacrymas, & inanes anxia queſtus,
AEgraque conſumit peruigil oſſa dolor.
Ore procul ſpecies errat, de corde voluptas
Aufugit, ex oculis exulat ipſe ſopor.
Immemor ipſa ſui ſuſpiria ventilat auris,
Surdaque continuis planctibus aſtra ferit.
Nunc vario concuſſa metu, nunc ſaucia amore,
Spe dubia innumeris æſtuat vna malis.

Soli-

Solicitum veluti quatitur refluentibus æquor
Fluctibus, ambiguis turbinibuſque fremit;
Cùm furit armatus Boreas, bacchatur & Eurus,
Vdus & auſtrali perflat ab axe Notus.
Omnia veſana ſecum rapit impetus vndæ,
Erutaque ex imis feruet arena vadis:
Sic illa indomito curarum fluctuat æſtu,
Pectoreque vndiſono naufraga corda natant.
Ergo vbi puniceum retegit lux aurea cælum,
Aſtraque vicino languida ſole cadunt;
Egreditur thalamo, laceros turbata capillos,
Sciſſa ſinum, luctu ſordida, læſa genas:
Et fletu, myrrhaque grauis ſuſtollit ocellos,
Ingemit, & querulis verberat aſtra modis.
Nocturnis Aurora iterum mihi tutior vmbris,
Et lux nunquam oculis læta videnda meis,
Cur viuo, cur luce fruor poſt funera vitæ,
Ac poſtquam in tumulo lux tumulata iacet?
Quamue diem gratam aſpicient, mihi Sole ſepulto,
Quæ Stygiæ hauſerunt lumina noctis opus?
Vidi ego crudeles aquilas, horrentia pila;
Et data ſtridenti Punica ſigna Noto.
Fulguraque armorum, & lituos ferale canentes,
Atque ire infames inter, & arma, Deum:
Et geſtare humeris immania pondera trunci,
Cæſaque ab aërea pendula membra cruce:
Et tandem extinctum, & confoſſum vulnere pectus,
Quod modò defletum, marmor & vmbra tegũt.

Ergo

Ergo alijs tenebras emerſus gurgite Phœbus
Diſſipet, & reduces luce coronet equos:
At mihi perpetuæ denſentur nubila noctis,
Et corda, atque oculos vmbra dolorque premant.
Cuncta renaſcentis ſub flaua crepuſcula lucis
Exultant, meritò flebilis vna gemo.
Lucifer alij miſeræ ſemper mihi noctifer, ex quo
Crudeli merſus funere, Chriſte iaces;
Nec vultus placidos, nec lumina ſicca videbis,
Ni dolor in riguo lumine ſtringat aquas:
Sic fatur lacrymans, furijſque agitata dolorum
Vrget ſolicitos ad ſacra buſta gradus.
Hortus erat felix, nemorali conſitus vmbra,
Quà latè irriguas ebibit arbor aquas:
Explicat hic laurus ramos, annoſaque pinus
Nutat, & intonſas pandit oliua comas;
Et cedrus, & platanus, coryluſque, & fagus, & alnus,
Et viola, & poto flumine vernat olus.
Arte laborata ad ſilicem ſpelunca dehiſcit
Exigua, & vacuum pandit vtrinque latus.
Hic noua depoſitum nunquam perpeſſa cadauer
Marmoreo Chriſtum clauſerat vrna ſinu.
Atraque veſtibulum triſti cypariſſus obumbrat
Omine; & infauſto germine funus alit.
Succedit nemori, gremioque alabaſtra fouebat,
Magdala, Panchæo rore litura Deum.
Vberius tumidis exundat flumen ocellis,
Infeſtæ feriunt pectora ſciſſa manus.

Mox

Mox ait: ò Solyma noſtri bene conſcia luctus,
Vallis, & ò lacrymis horte rigate meis;
Excipe fluctiuagam amiſſo rectore carinam,
Iam fidus miſeræ portus, & hortus erit.
Sed mihi quæ in portu requies, hortoue voluptas,
Cui certat curis cura, dolore dolor?
Dum vagor infelix, oculoſque ad rura reflecto,
Cuncta mihi informis luctus, & horror habet.
Flent Phaëthontiadæ, flet pallida Phyllidis arbos,
Et paſſim è ſiluæ cortice gutta fluit.
Flumina ſi crepitant, luctum mihi flumina reddunt;
Vmbraque ſi Zephyris ſibilat, vmbra gemit.
Iamque ſalutantes redeuntia lumina Solis
Dulce canunt tremulo gutture carmen aues:
Dulce aliis, ſed triſte mihi, lugubre queruntur
Omnia, vbique errat mæror, vbique dolor.
Funereos inter luctus, quis pectora curis
Exuet, aut miſeræ dulce leuamen erit?
Iam Chriſtus mihi vita olim, dum vita manebat,
Charior, in tumulo corpus inane iacet:
Cui viuo, moriorque ſimul, ſine munere vitæ
Dum trahit inuiſas noxia vita dies.
Felix ò tumulus, lethali frigore floris
In quo ſiderei languidus aret honos;
Attuli odorato lacrymatos cortice rores,
Nempe ſepulchrales munus ad inferias:
Et liquida euertam laceris opobalſama plantis,
Quæ quondam lacrymis immaduere meis.

Sed

Sed mihi quæ lapidem præcluſi ex ore ſepulchri.
Ingentem amoueat, ſaxea clauſtra, manus?
Sic queritur, mox ad tumulum feſtinat inanem,
Neſcia marmoreas iam patuiſſe fores.
Vt verò aſpexit vacuum ſine pignore buſtum,
Linteaque in viduo ſola relicta ſpecu;
Reſtitit attonitę ſimilis, rigor occupat artus,
Frigidaque aſſiduus concutit oſſa tremor.
Hæſeruat lacrymæque oculis, & verba palato,
Et pęnè ad tumuli marmora marmor erat.
Sic vbi venator decuſſit ab arbore nidum,
Natiſque implumes præmia ducit aues;
Sera reuerſa parens, viduataq; germina luſtrans,
Hæret, & algenti in pectore pluma riget.
Huc illuc taciturna volat, ſtupet anxia curis,
Et quò ſe dubiam flectere neſcit auis,
Stare timet, ſed abire dolet: ſilet improba ſilua,
Prodit & hoſpitij fœdera rupta fides.
Tum nemus infidum damnat, caſſoſque labores,
Et gemebunda ſuum flebile carmen init.
Magdala vix tandem obſeſſo ſuſpiria corde
Laxat, & ex oculis manat in ora dolor.
Ergo, ait, extincto funus geminatur Amori,
Atque iterum in tumulo vita ſepulta perit?
Ipſa tamen geminum viuo poſt funus Amoris
Improba? ſed Vitæ neſcia viuo meæ.
Cur mea vitali Diui ſine lumine Solis
Infelix vitæ lumina lumen ament?

Optati formoſa latent ſpectacula vultus:
Abijcite ingratam lumina cæca diem.
Iam mihi tartareis ridet nox denſa tenebris
Purior, inuiſi quàm ſine Sole dies.
Optatum nox fortè diem, Solemque tenebræ,
Mors vitam, auulſum cor mihi reddet Amor.
Ite oculi in tenebras, aut ſi mors ſurda negarit,
Vos mihi vulnificus vos mihi claudat Amor,
Fortis Amor, nec morte minor, populatur amantes,
Mors ſemel, hic longo funere funus agit.
Cui ego Achæmenios latices, vnguenta parabam,
Balſamàque Aſſyrijs illacrymata iugis?
Ah! pereat quicquid liquidum diffundit odorem,
Quicquid ab exciſo cortice ſtillat Arabs.
Damnati latices, atque irrita vota puellæ,
Vota procelloſo diripienda Noto;
Si Chriſtus lacrymas, blandoſque exoſus odores
Reſpuit heu! raptus munera, meque ſimul.
At tu ſidereo nuper felicior axe
Siccine commiſſas vrna tueris opes?
Vrna mihi ante alias ſtatio placidiſſima, cum iam
Tempeſtas quateret pectora fracta, dolor:
At nunc iactatis ſtatio malè tuta ſepulchrum,
Cui perit in cæco naufraga Vita ſinu.
Hortum (me miſeram!) fruſtra rupemque querelis
Solicito, fruſtra vocibus antra ſonant:
Et ſurdis ſiluis raptos narramus amores,
Molleſcunt lacrymis marmora ſurda meis.

Red-

Reddite iam lacrymis mihi mollia marmora Amorē,
Reddite, ne nimio cogar amore mori.
Auræ vicinis querulæ de collibus, auræ,
Quæque meo triſtis ſilua dolore doles,
Pandite quò raptus lateat, cognoſcere ſontem
Iam iuuet, hoc tanti ſit medicina mali.
At ſiquem fallit ſpecies, ignotaue imago
Pignoris abducti, ſigna cruenta legat,
Quæ ſcripſit pedibus, manibus quæ impreſſit ahena
Durities, ferro pectora hiulca legat;
Et colla horriſonis vinclis turgentia, quæque
Mollia vulnifico tempora ſente rubent.
Saucia ſacrilegis ſulcis, & hiantia membra;
Sed formoſa oculis ſaucia membra meis.
Fœda alijs, formoſa mihi tot vulnera fulgent,
Liuor, & atrati luridus oris honos.
Membra meis rorata vndis, imbutaque nardo:
Deſcriptas notulas Pignoris hoſpes habes.
Luditur, & nimio mihi mens lymphatur amore.
Cui loquor, aut vbi ſum? verba ſepulchra bibunt.
Reddite iam lacrymis mihi mollia marmora Amorē,
Reddite, ne nimio cogar amore mori.
Fleſſe hìc non ſatis eſt, cœlumque impleſſe querelis,
Sidera nequicquam talia damna gemo?
Et lacrymas lacrymis, & queſtibus addo querelas
Nequicquam, & noſtras negligit vrna preces?
Noſtra ſepulchrales aluerunt lumina flores,
Quos noſtro expirans ventilat aura ſinu.

Languidulum fulcite roſæ, fulcite caducum
Cor mihi; quàm ferus hoc vellicat hoſtis Amor!
Quàm ſæuũ experior vulnus! mihi credite amantes,
Hoc noſtro minor eſt quiſque dolore dolor.
Me miſeram! expectans morior, mihi credite amanti,
Hæc mea iam nimio corda dolore rigent.
Sæuit amor, ſæuitque dolor, certantque viciſſim,
Sic doleo ipſa, vt amo; tamque amo, quàm doleo.
Magnus amor, magnus furor eſt, bacchatur & ingens
Corde dolor; doleo, ſed magis vrget amor.
Quàm variæ inſano trepidant mihi pectore curæ,
Chriſtus at in varijs vnica cura mihi eſt.
Reddite iam lacrymis mihi mollia marmora Amorẽ,
Reddite, ne nimio cogar amore mori.
Quò mea Vita abijt, viduum quam pectus anhelat,
Cui tota in lacrymas hæc quoque vita fluet?
Plorando vt moriar? te extinxit militis ira,
Me pietas, pietas hæc mihi miles erit.
Viuam iterum, viuam, ſi me mea Vita reuiſes:
Si mea lux aderis, luce repentè fruar.
Dixerat, at Phœbus, norat namque omnia vates,
Mærenti ſiccat lacrymas, ſolatur alumnam,
Edocet ignaram dictis, arcanaque pandit.
Hæc æſtiua nouum terris educere Solem
Viſa dies, niueo lux ò ſignanda lapillo,
Quâ domiti Chriſtus ſpolijs inſignis Auerni
Emergit barathro ſuperas rediuiuus ad auras!
Vidimus ò qualem! quibus exarſere fauillis

Ful-

Fulgura diuino latè erumpentia vultu!
Nil ſpirant mortale oculi, cæleſtia flammas
Ora vibrant, vitreo tranſlucent pectore flammæ,
Multiplicem referunt radiantia lumina Solem.
Circumſtant reduces denſato examine Manes,
Quos victor ſtygioque lacu, cæciſque cauernis
Stelligerum, fracta compage, eduxit ad orbem.
Turmatim circumuolitant fulgentibus alis
Agmina Cælituum, Dominoque epinicia plaudunt.
Non tot Achæmenius rutilis exercitus armis
Vndantes peditum turmas, equitumque phalanges
Explicat, Euphrati exitium, Aſſyriæque ruinas,
Depopulaturus trepidos Babylonis honores.
Ergo alta ſtygius vinctus ſub nocte Tyrannus
Ingemit, & nudata ſuis mors ipſa ſagittis
Trans Erebi tenebras vinclis nodatur ahenis:
Pallentes longo fugiunt examine morbi,
Et timor, & mærens luctus; telluſque recentem
Deteſtata necem niueos fert libera Soles,
Atque ſinus aperit, veris diſpergit honores,
Et vocat ad choreas Nymphas, ad carmina Muſas.
Ipſa etiam abſterget lacrymas, & gaudia ad vrnam
Hauriet, atque diem aſpiciet, ſolemque ſerenum
Lætior, & nimium ſedabit Magdala fletum.
Dixit, & ad numeros iterum ſua plectra fatigat,
Atque repercuſſis adnectit carmina neruis,
Vnde modos pulſi iactant ad ſidera montes.

REVIVISCENTE

POEMA HEROICVM.

LIcèt omnino omnes, quotquot eunt toto anno dies, aureo ductos malleo Opifex ille formauerit, qui fabricatus eſt Aurorã, & Solem; Paſchalis tamen dies dierum omnium princeps arctiori ſanè iuris vinculo eſſe dicitur dies, quam fecit Dominus: ideò fortaſſe quia Soſpitator Orbis, ac lepor Superũ Christus Ieſus ad hunc diem albo lapillo, hoc eſt ſemet adamante ſignandum, nunquam ãtea manus habuit tornatiles aureas, plenaſque hyacinthis, quorum candore ſanguineo pretioſius Aurora illa gemmaſceret. vel quia potiſſimum haud vllam noctem legimus vigilãtiore lucis oculo fuiſſe citius perluſtratã, quã cùm adhuc tenebrę eſſent, valdè manè orto iam Sole: die ſcilicet iure merito omnibus longiore, vt rapinam illam horarũ, quas moriente Deo, contra morem, legeſque naturæ per vim paſſus fuerat; nunc demum à nocte, tanquam à furti rea, apud tribunal rediuiui Iudicis accerſita, atque accuſata de repetũdis, non ſine anticipata debitę lucis ſolutione, ac ſolaris auri iactura cęleſtem ad libram reſtaurata

rata compenſaret. Cum Deo igitur rediuiuo Parnaſſi ſolũmodò Philomelæ, aues nẽpe diurnę, deberent potius auras, aureſque matutinis concentibus demulcere: ſed quoniã antelucana illa dies ſine tẽperato paulatim lucis, & vmbrę confinio intempeſtiuũ anticipauit media ipſa nocte meridiẽ; mirum nemini ſit fortaſſe noſtrę etiam rudis craſſęq; Mineruæ Noctuã, licèt obtuſis oculis hebetẽ, nocturniſque vlulatibus aſsuetam, Deum tamẽ, diẽq; rediuiuũ ingratę vocis obſequio venerari.

CARMEN.

QVa Mundi Reparator ope expugnauerit ima
Tartara, & edomiti ſpolijs Acherõtis onuſtus
Prodierit ſuperas iterum rediuiuus ad auras,
Vnde ſibi ęternos poſcit victoria plauſus;
Enthea vis ceciniſſe iubet. Melioris origo
Carminis, ò poſthac Solymęi montis Apollo
Verior, ipſe nouos quinis è fontibus hauſtus
Da vati duxiſſe Deus: nec enim amplius atro
Sanguine, flammiuomo turgent ſed vulnera fluctu.
Hinc mihi fas haurire melos, nec laurea malim
Serta, triumphalem palmę dent crinibus vmbram.
Deliquio pallebat adhuc perterrita inerti
AEgra dies, furuoque ſinum ſqualebat amictu
Interitum miſerata Dei; cum triſtia regna,
Et Stygias aditurus aquas, noctemque vetuſtam

Ipſe Deus (ſacra ſic vatum reſponſa canebant)
Carpit iter cęcum inferior, quò vindice dextra
Depopulaturas Erebi penetralia vires
Inferret, barathroque inſontes ſolueret vmbras,
Tartareo extorquens non debita ſceptra Tyranno.
Ibat, eumque imis terrę ſub faucibus, atro
Excepit ſpecus ampla ſinu: obſtupuere profundę
Viſcera telluris, frenauit murmur aquarum,
Quà perlabuntur ſubter vaga flumina terris,
Iordanes, glebaſque iubet reuireſcere inertes
Flore nouo, ſterníque viam viridantibus vmbris.
Senſit adeſſe Deum, venerataque contremit, ac ſe
Terra ſacrę motu formidinis inclinauit.
Eſt locus extremę medio telluris in orbe,
Inferno propior barathro, quem ferrea ſemper
Nox gremio fouet, ac ſolidis complectitur vmbris.
Inde per obſeſſas antri vaſto obice fauces
Itur in exeſum mundi latus: ilicet omnes
Corporeis quotquot reſolutę nexibus vmbrę
Inſontes, curuis ſpeluncę anfractibus errant,
Et patrijs cæli diſtractæ ſedibus, vnà
Producunt veteres in vota perennia noctes.
Hic & Abelus, ijs iam longior incola in antris,
Primęuuſque Parens felici extorris ab horto,
Deguſtaſſe auſus lethali imbuta veneno
Poma, lue ah! ſeros etiam infectura nepotes.
Ibat ponè Lamechiades, qui ſoſpes inermi
Inſanos pelagi deriſit puppe tumultus

Tempe-

Tempeſtate ſuperfuſa, Mundique ruentis
Prelia, cùm feſſis requiem cæli ira negaret
Nubibus, vt coniuratis in damna procellis,
Naufragum obruerent vndis vltricibus Orbem.
Proximus huic ſenior, qui natum ſiſtit ad aras
Deuotum morti: potes ò ſupereſſe dolori
Patris amor? tantum auſa patris ſub pectore virtus:
Aëre precipitem niſi quòd ſuſpenderat ictum
Aliger erecto vibratum fulmine, iamiam
Imbuerat patrios lacrymabilis hoſtia cultros.
Nec non quem ceti ſquamoſo in carcere vatem
Tres latuiſſe ferunt monſtri ſub tergore Soles;
Terrę vtero: ah quoties ternos ſol circuit orbes,
Nec datur emerſiſſe tamen ſub luminis auras!
Legifer hic, nutu cuius via facta per vndas,
Cui ſubitò ſtetit hinc, atque hinc aggeſtus aquę mõs,
Vt ſiccum reſeraret iter; Phariaſque ruentum
Mergeret vndarum labefacta mole phalanges.
Inde & Amoſiades, atque Iſacides Iacobus,
Helciades, Iobuſque, ſilex immota ferendo,
Tot licet icta malis; Gedeonque, auriga regendis
Soliſequis melior Phaëthon, & binus Ioſeph:
Hic puer vndenis per ſomnia cultus ab aſtris,
Ille Deo parente ſenex, & Virgine dignus;
Innumerique ſimul proceres, & labe carentum
Felices animę per inania clauſtra vagantur.
Quos inter tunc forte toro Ieſſeius heros
Sederat herboſo, tumulique ex aggere, docto

Vn-

Vngue animans tremulum ſolitę teſtudinis aurum
Aëra mulcebat. ſtant circumfuſa ſilentum
Agmina denſa humeris, & prona canentis ab ore
Aure bibunt ſitiente melos, quod gutture fuſum
Fatidico, euoluiſſe dedit furor Entheus ęſtu.
Namque canebat, vti caſus miſeratus iniquos
Tandem hominum, teneri mortales corporis artus
Induat ipſe Deus, tacito ſed flore iuuentę
Poſt ſeriem exhauſtam, & diſcrimina mille laborũ
Seſe epulo apponat Cereali clauſus in orbe.
Ponè vt Tartareis triſti ſub nocte tenebris
Vltrò ſe obtulerit morti reus. Addidit inde
Corpore ſudatum ſine vulneris ore cruorem,
Tergaque aperta flagris, tempeſtatemque cruentam,
Et ſiiueſcentem paliuro horrente coronam,
Traiectaſque manus ferro, & ludibria, & atri
Pocula fellis, & indignam de ſtipite mortem.
Tantus amor noſtri, & redimendę gloria gentis.
Hęſit ad hęc; Procerumque frequens mirata corona
Laxauit tacita ex imo ſuſpiria corde;
Nec ſilet ille tamen: mentis ſed triſtia tergens
Nubila, promiſſis ſocios ſolatur amicis.
Proſequitur qua vi Domitor, quibus acer in armis
Venerit excidio Barathri, qua lucis opima
Tempeſtate nitens, cæco ex Acheronte redactos
Secum ipſe innocuos reuocarit ad ętbera Manes,
Queis terere inſuetis concedat ſidera plantis.
Nec longùm indulgere morę. Ieſſeius Heros

Vlte-

Vlterius duxiſſet adhuc ſua carmina, Patrum
Talibus interrupta forent niſi carmina votis.
O dabitur tandem! ò aderit redeuntibus annis
Illa diu expectata dies! ò pigra reuolui
Tempora! iamne poli ſit fas emergere in auras!
Ridebunt ergo aſtra? orbis mens dia querelas
Audiet, humanaſque preces, & ſupplicis Orci?
Publica quando aderunt ſolatia? proh bona amicis
Sęcula feſtinanda votis! ò nata, & adulta
Sidereo de lacte dies, par pluribus annis!
Quòd ſi ſerò ſuos torpentia ſidera curſus
Axe volutabunt pigro; tamen interim amaros
Huius mille ſpei fallemus tędia, & annos.
Vix ea; cùm Barathri ſubito reuoluta tumultu
Clauſtra ſupinatis cecidere impulſa ruinis:
Nēpe aderat ſub Dite Deus, nitor vnde ſub vmbris
Inſolitus trepidas diſcerpens luce tenebras.
Quale iubar, quiſue oris honos? inferna beantur
Supplicia, & luctus domus hoſpita riſit, Olympo
AEmula, lętitijs prope iam factura ſupernis
Inuidiam, ſi liuor edax cęleſtia carpat
Pectora. Ad inſuetos Diuini Numinis ortus
Obſtupuere priùs Proceres, ceu ſomnia mentis
Spes ludat, nec quiſque ſatis ſibi credulus, hęrent
Attoniti, dubijſque immiſcent gaudia votis.
Donec anhelanti circumflua turba tumultu
Vndanti ruit obſequio, denſique premunt ſe
Pręcipites, glomerantque ardentia ad oſcula amores.

Ille

Ille ſtetit medius, primaque aſpergine aperti
Numinis ora beat: dulci dein flumine Nilum
Nectaris ętherei plus quàm ſeptemplice largum
Tempeſtate aperit, ſitis vnde vetuſta beatos
Vſque bibat ſuper effuſis è fontibus hauſtus.
Ecce autem interea procerum dum prona ruentum
Excipit obſequia, & dum lux beat ebria mentes,
Longè exaudiri veſtigia mæſta gementis:
Solis erant queſtus: nigro ſub ſyrmate ſqualens
Vmbrarum, & fœdo corruptus lumina luctu
Sol, vbi adeſſe Deum terrę ſub viſcera ſenſit,
Pronus humo has fudit radiorum voce querelas.
Arbiter ò, ſcelerumque vltor, cui machina mũdi
Omnis, & ipſe ſuis paret cœli ambitus aſtris;
Quid fruſtra alternis nocteſcere legibus orbem
Dextra opifex iuſſit? confinia lucis, & vmbrę
Quid regno diuiſa pari? nonne alba diei
Sceptra mihi commiſſa dabas? quid fœdera rumpit
Improba Nox, violatque tuos impune timores?
Vmbrarum Regina ſibi conceſſa gubernet
Sidera, & AEthiopum famulis ſe iactet in antris.
Stent mea iura mihi: proh nigra audacia culpę!
Nox ferrugineis armata phalangibus, ecce
AEthiopes ſtimulans ad furta diurna latrones,
Theſauros radiorum omnes & lucis, & auri
Deprędata mei eſt, medio ſub cardine cęli
Interitu confixa tuo. At, viuis Deus vltor,
Viuis, iniqua tibi ſoluant vt crimina pœnas:
Iudi-

Iudice te, ridere diu dediſcat inulta
Impietas, metuantque ſibi tua fulmina fraudes.
Vix ea: Regnanti nuper Deus arbiter Orbis
Annuit aſſenſu tacito: dein voce fauenti
Hoc tonat edictum præco, & vox fulminis illa eſt.
Audi Orbis, Cœlumque audi: quas hactenus horas
Fraude mala pereunte Deo ſurata diei eſt
Nox, furti rea; reſtituat. compenſet ab vmbris
Auri damna ſui Phœbus, lucisque rapinas
(Valdè manè orto iam Sole) redintegret Eos,
Anticipetque ſuos Aurora, & Lucifer ortus.
Sic ait, & reduces ad regna ſuperna triumphos
Indicit Patrum Genijs. inſignia pompę
Quiſque parat, greſſuſque, Dei maturat ad vrnam.
Tunc deſiderijs accenſa recentibus ardet
Mens, Acheronteis iam tandem exuta catenis,
Libertate frui. præeunt longo ordine bini
Diuorum pia plebs, ſi plebis nomine fas eſt
Dicere regnantum populos: incenditur aureis
Solibus omne iter, & prætergredientis adorat
Terra gradus, quacunque premi ſibi terga ſuperbit.
Ventum erat ad tumulum, medijs vbi victa tenebris
Nox, geminam paritura diem, tot ſurgere Soles
Obſtupuit, ceſſitque Deo, & quas ante diei
Abſtulerat, luci cum fœnore, reddidit horas.
Aſt vbi ſuccedunt proceres penetrale ſepulchri,
Tum verò (æthereo licet vdas melle) beatas
Iam vicina Dei contriſtant funera mentes.

VI. *Hei*

Hei mihi qualis erat! mors ſparſa cadauere toto
Numinis ora, hominiſque negat; confuſa dolorum
Congeries, humanum hominis ſine imagine corpus.
Sed vix in laceros mens dia cadaueris artus
Seſe animo infudit; lux viua repentè cruentas
Ditat opes, radiantque inſuetis vulnera gemmis.
Os iterum redit ad ſua lilia; rurſus in ore
Scintillat decor, atque lepos; veſtigia mortis,
Et lateri AEtna patens, ſciſſæque ad terga cauernæ
Cuncta ſcatent radijs, & viuo fulguris auro.
Spinarum crudele decus ſeptemplice lucis
Fonte natat, fluitanſque ſuo coma ſpumat Hydaſpe:
Sanguine fœda prius, pretioſis nunc Hyacinthis
Vtraque plena manus tornatilis aurea, et omnes
Pro meritis proprio decorantur Sole dolores.
Surge ò, quid dormis? ſurge ò pſalterium Olympi,
Et cithara armonicos cui cæli, atque orbis amores
Conciliare datum, & malè diſſona carmina mundi,
Vt meliore tibi reſonent epinicia cantu.
Atque vtinā quà vulnus hiat, noſtra omnia apertis
Inſita vulneribus ſint corda ibi fuſa, vbi vera
Gaudia, vt hinc niueo lactemur ab vbere matris,
Hinc nati roſeo paſcamur vulnere. ſed quid
Virginis ah! miſeræ ſolatia tanta moraris
Nate redux? age maternos immerge dolores
Melle tuo: viduæ ploratum Turturis audi.
Nempe breui moritura ſibi eſt, niſi fulciat ægram
Spes animam, & vitam niſi ſuppleat ardor amoris:

IN

SACELLI

Beatæ Virginis, ſub titulo

REGINAE ANGELORVM,

In Tirocinio Panormit. Soc. Ieſu.

POEMA SECVNDVM.

Fallor, an arrectas longè increbreſcit in aures
Feſtus ab vrbe ſonus, plauſuq; accẽſa reſultãt
Mœnia, ſidereoſque ſubit fragor excitus axes?
Hinc oculis, hinc aure trahor: vix auribus vlla eſt
Luminibuſque fides, recalent quid pinguia acerris
Templa, triumphaliſque parant inſignia pompę?
Quis nemorum aſſenſu canitur? cui ridet amœnis
Fertilis Ercta roſis? Nympharum cærula plaudit
Turba; Thetiſque, ſilent pigro dũ marmora ſomno,
Murmurat aſſultans, viridemque allabitur algam,
Et ſpumans bibulis colliſa cachinnat arenis.
Non iuuat è Cirrha cauſam elicuiſſe, nec altè
Bellerophonteis immergere fontibus vrnam:
Nec te Phœbe vocem, quamuis Helicone relicto
Exercere hilares docta cum plebe choreas
Vidimus, & noſtros vnà celebrare triumphos.
Ipſa veni, faciliſque animum, numeroſque miniſtra,
Quæ caneris Regina poli, & ſine candida vatis

Lilia

Lilia laurigeros inter florere capillos.
Colle ſub vmbroſo, audaci quà ſidera dorſo
Continui affectant montes, ſedet inſcia Phœbi
Vallis in amplexu nemorum, quam ſegnis Oretus
Mordet, & illimis tacito ſubit æquora lapſu:
Vmbra cadens ludit ſubterfugientibus vndis,
Et tremuli viridante natant in gurgite montes.
Hìc Pater vndanti curarum turbidus æſtu,
Exitiumque timens, languentia membra Panormus
Fuderat, auratæque acclinis tempora Conchæ
Nixus, ab vberibus paſtos per læta colubros
Gramina, & innocuo dederat luſiſſe veneno.
Non qualis criſtata olim ſub caſſide multo
Marte calens Gallorum hebetauit vulnere ferrum.
Hauſerat at vultū macies, ſulciſque genarum
Iam penitus fugere oculi: faſtidit amictum
Lucius, & inculto delapſum è vertice ſtemma
Negligitur, mediiſque latens internitet herbis.
Stant circum attonitæ Dryades, plorantibus aura
Aggemit, & querulo ſuſpirant murmure quercus.
Tu quoque arundineam pariter cum crine coronam
Vellis Orete Pater, muſcoſam & fletibus vrnam
Conturbas: quoties in vitrea pectora pronæ
Præcipitant oculis, lacrymarum flumina, gemmæ?
Cæruleæ ipſe etiam liquido cum patre puellæ
Ante pedes niueis verrentes crinibus herbas,
Vngue genas, laniantque vdo cum pectore veſtes:
Conſociant lacrymas, & amico murmure triſtem

Sola-

Solatur gemitum, alternis nec fletibus vnquam
Fit modus; inſolitam ni iam ſtellantis Olympi
Vibrari faciem tremulis vidiſſet in vndis,
Aureaque auritremas tranſmittere fulgura ſiluas.
Nempe memor, duroſque ſenis miſerata labores
Relligio notum greſſus vrgebat ad amnem.
Non petulans acie, nec morſu dentis eburno
Implicitam ſqualore comam ſinuarat in orbes;
Germine Palladio ſed caſtigata comarum
Libertas per colla fluit, caſtoque pudore
Lumina, Sidonioque ardent in murice vultus.
Non ſic irradiant triplici Thaumantidos ora
Fucatæ ſpecie, curuo cùm lapſa volatu
Texit inæquales radiata fronte colores.
Illius extremos gremio circumflua lambit
Cærula palla pedes, moto ſubtegmine, pictus,
Luce grauis, curſus peragit deuexus ad vndas
Sol Tarteſſiacas, & inania nubila ſoluit.
AEmula ponè ſoror ſequitur: pars condita nube
Arte latet, properare putes; argentea latè
Pars nitet: hinc mendax accendit Veſper in auro
Sidera, nocturnaque tegit caligine peplum.
Ipſa Crucem admotam gremio, dulcique receptam
Amplexu refouet: Panchæos veſtis odores
Expirat, queis ridet iter, latèque Sabæis
Thure vaporatæ vitiantur nubibus auræ.
Naiades aſſurgunt, ſacra formidine ſiluæ
Nutauit veneratus apex, aurataque pronus

Cornua ſubmiſit confeſſas Numen Orctus.
Tum tremulis madidum declinat ad oſcula vultum
Exceptus genibus ſenior: prona illa ruenti
Hosne, ait, amplexus, hæc ſingultantia verno
Oſcula chare ſenex? vix tandem agnoſcimus ora,
Regaleſque notas: horret quid ſilua comarum?
Quid fronti ſublatus honos? exhauſta dolore
Membra tremunt, dubijque labant in pectora vultus.
Quid tacito laceras morſu tua viſcera, & alto
Corde premens tibi damna foues? è gurgite curarum
Immerſum iam tolle caput: mærentibus olim
Dulce loqui, atque auidos fando exonerare dolores.
Ingemit, & querulis premit obluctantia labris
Verba ſenex, lacrymiſque diu cunctatus obortis,
Vix tandem hæc: firmum columenque, & ſola ſenectæ
Diua meæ requies, fomenta medentia præbes
Vulneribus, ſed ſera, meis: diſcrimina ponis
Fletibus? heu miſeri! quid caſtigare iubemur
Mille parentales natorum in funera queſtus?
Fata agitant miſeros, mihi iam deuexa ſenectus
In peius lapſura ruit: cæleſtia nobis
Bella tonant: mea cuinam tantæ obnoxia culpæ
Pignora, quòd ſcelus innocuorum morte piamus?
Totne rogis veteres nondum ſatiauimus iras
Aſtrææ memoris? iam nulla nepotibus ægris
Ridet amica dies, ex quo graſſata ſiniſtri
Atra lues cæli vitio tot ciuibus vrbem
Exhauſit: patria vos conſcia culmina teſtor,

Teque

Teque ſenex; quoties morientum clauſus auernis
Quærere viſus iter dubium, fœduſque cruore
Glauca laborantes ad cærula voluere fluctus?
Quid, fractis ni rebus opem, auxiliumque paraſſet
Erecta, Panormeos nunquam tacitura labores
Virginis exuuijs? iterumne excanduit Orcus,
Et Phlegethonteis populatur ſtragibus vrbem,
Corrupitque lacus, infecitque aëra morbis
Tiſiphone, obſtanteſque premens poſt terga Ceraſtas
Obuia Tartareis contriſtat ſidera flammis?
Interit ægra Ceres, & auara noualia paſſim
Eludunt leuibus malè credita ſemina auenis.
Iret adhuc in verba dolor, ni pectus amicum
Amplexu erigeret, mœſta & frigentis alumni
Relligio arcanis ſoluiſſet nubila flammis. (me,
Surge, humilemque metũ, mea maxima cura Panor-
Spe domuiſſe iuuet; vultum iam turbidus æther
Exuit, & nitidus riguo tibi grandinat auro,
Fortunatque vrbem, ſed longa exordia lætis
Nectimus; hac ſequere ipſe tuos viſure triumphos.
Tantum effata, ſacras iter inſtaurabat ad ædes;
Ponè ſenex ægrè firmans veſtigia, Diuæ
It comes; ingemuit tacitus prope mœnia natorum
Anxia flebilibus defigens lumina tectis:
Tanta infelicem mordebat cura Parentem.
Eſt locus extrema, cliuus Borealis, in vrbe
Editus, hoſpitium quo diues floret ephebis,
Loiolea domus, queis nomina fecit Ieſus.

Ipſa cohors ad bella rudis, ſed Palladis armis
Paulatim aſsueſcens ad prælia dura iuuentus.
Ergo domum aëriam roſea Sol luce colorat
Exoriens, flexoque abiens temone ſalutat
Feſſa dies: nemus in medio lætiſſimum opacat,
Vitibus, arboribuſque frequens; & mixta roſetis
Lilia pubeſcunt, & ſacra vireta coronant.
Hic vitrei fontes, & ſtagna virentia muſco,
Marmoribuſque leues argenteus humor in auras
Exilit, & latices recidentes concha recondit,
Vnde hortus, largèque bibunt violaria riuos.
Excitat auguſtum pubes hic caſta ſacellum
Cælicolum Dominæ, vigileſque recentibus aris
Sacrarat iam ritè faces: aperitur in arcus,
Et teſtudineis complectitur orbibus ædem
Fornicibus cameratus apex, viuiſque figuris
Expreſſa effigies, liquidas vectata per auras
Lauretana domus: Superum officioſa laborat
Certatim veluti gemeret ſub mole iuuentus
Prona miniſterio: ſacras venerarier ædes
Nubila, & attonitos veſtigia lambere credas
Iucundos Zephyros. Qualem Titanis alumnum,
Exutum ſenio, & rediuiuum mille volantem
Hinc atque hinc ſtipant volucres, amor omnibus idē
Suppoſuiſſe alas oneri: fuluique metalli (eſt
Auriferis quicquid verrunt in meſſibus Afri,
Fulgurat in medio: mentito florida vere
Purpurat, & nemorum contexitur ara ruinis.

Præ-

Præterea ipſa ſuis animans incendia damnis
Cera alit, & rutilis diſcriminat aëra flammis.
Ignis edax Arabum lacrymata opobalſana ſiluis,
Aſſyrioſque bibit rores, & merſa fauillis
Thura vorat, blandas queis fumus inebriat auras,
Ergo ſuis placido vultu ſuper aſtitit aris
Maxima Virgo vltrò, ſolioque ſedebat eburno.
Quale decus, quiſue oris honos! famulantur in orbẽ
Sidera nexa comis: dijs ſubit aurea Phœbe
Greſſibus, implicitumque bibunt holoſerica Solem.
Aligeri hinc, iuuenumque habitus, atque ora gerentes,
Mille aſtant, Diuum inde choris vallata fauillas
Excitat, arcanoſque animis pertentat amores.
Relligio huc ſubijt; greſſus in limine primo
Compreſſit, fixuſque animos, ac lumina paſcens
Hærebat ſenior. pecorum ceu fortè magiſter
Rus patrium procul vrbe colens, aſſuetus ouile
Spectare, & leuibus congeſta mapalia ramis;
Siquando armiſonæ ſubeat Capitolia Romæ,
Attonitiſque oculis luſtret Tiberitidas arces,
Vertice turrigero atque inſerta palatia ſtellis,
Saxeus ora ſtupet; cùm mille gementibus æuo
Incumbant Pharijs penetralia fulta columnis,
Stentque locuturi mendaci in marmore vultus.
Ille, quid, ò virgo, precor, hæc ſolennia poſcunt,
Quid põpa hæc, doceas, quid vult concurſus ad ædẽ?
Olli docta comes breuiter: noua templa Parenti
Cælicolum ſacrata vides. beat æthere ab alto

Illa ſuas delapſa domos, vrbemque Panormi,
Hinc licet afflictis tandem confidere rebus.
Interea Aligerum media teſtudine Princeps
Emicat: huic demiſſa fluit chlamys aurea tergo,
Quam teres ardenti nexu mordebat Iaſpis.
Criſtatam hic galeam torto diffibulat auro,
Vernanteſque genas aperit, ſupplexque profatur.
Aligerum Regina, tuæ ni nomina gentis
Reſpuis, ac patrij ſordet tibi Regia Olympi,
Vſque adeò humani generis fiducia creuit,
Vt tibi deuotis ſua nomina ſedibus indat,
Poſthabitiſque hominũ dominã ſibi vindicet, aſtris?
Noſtris Anna parens ſtudijs cunabula paruæ
Commiſit, caſtis nos primi excepimus vlnis
Naſcentem, & Pharij comites ad regna Canopi
Duximus, è tumulo cæli quo locauimus arce.
Nunc ſuperum deſpectus honor? tum Cãtaber Heros
Innixus Loiola haſtæ, quæ candida circùm
Carbaſa ludentes dederat tumuiſſe per auras,
Cernis vt haud æquis certet pia turba querelis
Nazareth alma potens? tibi nec cæleſtis origo,
Cæleſtes licet ore nota, nec liuor Olympo eſt.
Noſtri aliena petunt? noſtræ an qui membra Parentis
Credita humo (Cedrò, voſque antra haud inſcia teſtor
Gethſemani, doluiſtis enim) rapuere ſepulchro
Dilectes eximias? mea quænam indebita poſcit
Audax progenies? tibi Mater inaugurat aras
Vnum orans, patiare hominum regina vocari.

Nec te horum de ſtirpe negas, neque Rector Olympi
Nequicquam terris noſtros curare labores
Præfecit, patriumque dedit regnare per orbem.
Natorum Regina pijs precor annue votis,
Quæque dicant delubra colas: hæc ſæpius imis
Templa fatigantes precibus mirabitur aureus
Phoſphoros, haſce fores genibus, frigentiaque ore
Saxa terent, lacrymaſque bibent cum thure fauillæ.
Dixerat: at Mariæ, placidè contendere Diuas,
Et gratum certamen erat: mox ipſa locuta eſt.
Qua dicente cadunt fremitus, ſtudiumque fauentum,
Quiſque ſilet, pronaque auidus bibit aure loquelas.
Aligerum tunc priſcus honor mihi deſluet, ac tunc
Humani generis labentur pectore amores;
Turgidus Armenij patiens cùm pontis Araxes
Infamata vagis premet Acroceraunia nautis:
Lucida Hyperboreus verſans aut plauſtra Bootes
Deſeret, Oceaniue ſub vndas occidet Arctos.
Figite verba animo: omnes hoc me ritè ſacello
Reginam Aligerum celebrent, hominūque Parētem,
Hæc ait, ac ſurgens, ſuperum plaudente corona,
Carpit iter liquidum, fugienſque ſequentia vincit
Lumina, paulatim minor; ac noua ſemita fulget
Quà volat, & rutilis ſcribuntur nubila ſulcis.
Ergo alacrem truncas transferre in compita ſiluas
Relligio, ac thiaſos iubet inſtaurare Panormum.
Ille nemus repetens reſonos ad carmina montes
Solicitat, patriiſque indicit gaudia Nymphis.

GONZAGAM

POEMA TERTIVM.

BEatum Aloyſium delicias noſtras, heroico mihi carmine recolendum, non niſi de induſtria huc vſque diſtuli celebrare: vt ſi quorum fortaſſe animo beatiſſimi iuuenis recordatio, anniuerſaria ſolennitate repetita nuper, octonis ſolummodò diebus viuida, deinde verò cōſopita paulatim obliuionis in cinere obdormiret, meæ iterum exercitationis veluti flamine ſuſcitetur. Grādia enimuerò, atque ſublimia ſunt eius geſta virtutum, quibus ad ornamentum Gonzagæ familiæ, ac noſtræ Societatis decus toto viginti triū annorum ſpatio ſuæ Aloyſius vitæ circulum coronauit: adeò vt ipſius non vita ſolùm integra, ſed quælibet eius momenta ſingula laudationem ſibi maximam, & maximum poſcerent laudatorem. Ego verò cùm non audeam infans metiri gigantem, tantarum virtutum congeriem venerans, ſed omittēs, vno in Aloyſij opere commorabor: quemadmodum ſcilicet diuino ab Amore eius pietas ingenioſior, flagellis ac ſanguine, aditum in Societatem extorſerit à Genitore, diu tenaciter reluctante.

CAR-

Candide Abel vocem ipſe tui nō ſāguinis audis?
Clamat terra madens: Aloyſi parce lacertis,
Parce, humeriſque aliquid, veniſque relinque cruoris.
Proÿce flagra manu, ſatis eſt, ſatis illa bibère
Virginei laticis, potus ſatis ebria turgent
Sanguineo, & diræ pietatis clade, redundant.
Sed flagra nec ponis, nec parcunt flagra cruori.
In tua damna ferox, & inexorabilis, inſtas
Purpuream niueis vitam exhaurire lacertis,
Vulnera vulneribus, ſatiaſque dolore dolorem.
At tibi tam fortes quæ vis ſub pectore ſenſu,
Quis ſtimulos ſubiecit Amor? tantumne voluptas
Pœnarum libata valet? ſic nempe adamantis
Corda Patris, duroſque emolliÿt Agnus amores;
Sanguine nempe ſuo. Vallum fregiſſe parentis,
Quà ruat ad Ieſu ſocios, vt caſtra ſequatur
Loyolæ, reſeraſſe viam clauſam obÿce tanto,
Gloria ſit fuſi tergo per flagra cruoris.
Poſtquàm Diuus Amor puros decreuit ad ignes
Fingere Aloyſiÿ ſibi cor, tractare magiſtra
Materiem dextra cœpit, verſanſque, premenſque
Os, habitumque ſuo fingebat amantis amato
Conſimilem. nudus, lacer, & ſua membra cupreſſu
Funerea pendens, veprium diademate, ternis
Clauorum ſceptris, & viuo ſanguinis oſtro,
Rex erat ille; at Rex, habituque, atque ore, dolorum.
Regis ad exemplum, Gonzagam diuus Amantem

Praxi-

Praxiteles formabat Amor, ſeſe ille ſequacem
Materiem artifici præbens, vultuque animoque
Vultumque, atque animum referebat Amator Ieſu.
Ergo illi iam vilis opum, iam vilis & aulæ
Fulgor, amat ſacris ſibi viuere ſolus in vmbris,
Sole Deo & ſolo contentus: ſed ſua nunquam
Exercere auidis contentus membra flagellis.
Aula ipſi quoniam negat inſtrumenta dolorum,
Ingenio ſupplet. cohibentia lora moloſſos
Subſtituit flagris, quin & calcaribus artus
AEtheris in ſtadio velox eques incitat, & nunc
(Luminibus quia ſæpe ſuam ſub nocte quietem
Inuidet) aſſeribus, quos ſtrata in ſindone celat,
Supplicijs defuncta prius, ſua membra reclinat,
Et cruce furtiua veluti ſuffixus adhæret.
Sed per furta ſitis magis irritatur amoris.
Scilicet aula pijs non eſt bene commoda furtis,
Commoda delicijs, pompiſque fugacibus aula.
Ergo mihi, dixit, ſemper fas viuere rapto,
Et modicos tantum, & furtim libare dolores?
Ibo, ibo: eſt pietas Patris impia, ſi negat, inquit;
Inque ſuas pœnas campo molitur aperto
Ire tenax, & caſtra ſequi, quæ nomen IESV
Optatæ voto crucis, amplexuque ſequuntur.
Sed quà tentet iter? Pater aggere durus aheno
Armatus, iaculis furialibus obſtat amoris.
Nec ſe mens flecti, nec ſe frons torua rogari
Dat veniam. rogat ille tamen ſuperoſque, Deumque,

Et

Et quæ labra premunt, ipſi flagrantia promunt
Vota oculi, vultuſque. Tacendo quis occulat ignem?
Nemo etiam tacitus flammam celauit amoris.
Forte ſuos inter parcus conuiua parentes
Fercula libabat vix primo Aloyſius ore:
Dumque ſitim extinguit, gemmaque in diuite ſorbet
Oſtrum molle, ſui memor inde colore cruoris
Singultus animo rumpens, ſubiecta caducis
Vina coronabat lacrymis, lacrymaſque, cruoremque
Ipſe ſuum ſitiens, lacrymaſque bibebat, & ignem.
Pectore flammato liquor ille receptus, amori
Bella ſuo mouit: gliſcit ſub pectore flamma,
Crebreſcunt gemitus, oculis torrentior amnis
Ingruit; ipſe ſui impatiens, & neſcius vltra
Stare loco, menſaſque fugit, vultuſque parentum.
Illi hærent primò, tali conterrita viſu
Mox properè inſequitur genitrix: pater ipſe ſilenti
Ponè gradum ſubiens, latet vltrò: atque aure ſagaci,
Queis animum exoneret natus ſermonibus, haurit.
Qualis poſt caueæ penetralia dulcia, toruus
Arte latet, catuliſque leo fugientibus, vltrò
Expectatus abeſt, rictuſque obſeruat, & vngues
Natorum, hæredes ſi fortè accenderit iras
Ardor, magnanimaſque acuant ad pabula vires;
Anne famem malè degeneres patiantur inertem.
Feruor Aloyſij ſed vi grauiore medullas
Abripit, & tacito figit præcordia telo.
Languida deliquio pallet roſa bina genarum,
Mol-

Molliaque immoto tabeſcunt lilia vultu.
Quid faciat genitrix? puero perculſa labanti
Subuenit amplexu: nodis thoraca reuinctum
Laxat dextra tremens, frontem detergit, & vndam
Spargit in ora, ter ingeminans, mea vita, Aloyſi.
Lucibus ille diem dubiam languentibus haurit,
Et tenui nomen cum murmure promit Ieſu.
Multa rogat genitrix, tanti quę cauſa laboris,
Quid metuat tantum curis mens ægra, vel optet.
Ille ſuum, plorans, nec quicquam præter Ieſum
Ille ſuum ingeminat; vox illi hæc ſæpius vna eſt:
Nempe vnum, pia mater ait, tibi poſcis Ieſum?
Illius & deſiderio tua pectora tantùm
Nate calent? nunquàm niſi corde receptus amantis
Sic petitur Ieſus: lacrymæ, ſuſpiria, tantus
Nate dolor, iam ceſſet, habent tua vota, quod optas.
Lumina Aloyſius tunc cælo humentia tollens,
Tene habeo? dixit, te ſpes mea dulcis, vt optant,
Vt poſcunt mea vota, tenent? quis credat? Amoris
In mores ſi tranſit amans, vultuſque; flagella
Nunc vbi, mi Ieſu, tua ſunt? vbi crux? vbi claui?
Sanguis vbi, & vepres, factũque in vulnere vulnus?
Tam duro affixum trunco, ſic mollis amorem
Oſculor in plumis? nudamque amplector in auro?
Sanguinis eluuie tanto me Numen amauit
Immeritum pretio; redamans nihil ipſe rependam?
O mihi neglecta cur non pater annuit aula
Poſſe ſequi propiùs veſtigia præuia Amoris?

Ipſe

Ipſe vocat; Genitrix interpres & ipſa vocantis
Nati eſt Virgo: mihi ſceptrum, pompaſque Aloyſi
Contemne, & ſocijs, inquit, da nomen Ieſu.
Non ſequar? at quacunque datur via perſequar: aut ſi
Non datur, inueniā tamen ipſe. Haud plura profari
Paſſus Aloyſium pater eſt; latitanſque, timenſque
Multa diu ſecum, atque ira violentus amoris
Irrumpens conclaue, tuæ molimina mentis
Erupere, inquit, contemptor vane parentum.
Aſtus nempe tuos ſat ſentio: patris, & aulæ
Te piget. hinc lacrymis inhias, pœniſque: furorem
Protinus hunc animo niſi ponas, non erit aulam
Cur linquas, votis faxo potiaris in aula.
Hæc ait, & torua deſpectum fronte reliquit.
Scintillant ſed fronte minæ, ſæuique rubores
Irarum, quos ignis alit (quis credat?) amoris.
Plus natum tamen ipſe timet, quàm multa minantem
Formidet natus genitorem: auellitur inde
Coniuge cum trepido coniux tremefacta. ſed iram
Ipſe patris ſecum reputans: oh! dulce dolorum
Si tirocinium mihi ponere detur in aula,
Dixit, erit votis aliquid, quod ametur in aula,
Opteturque meis. En, vanum vlciſcere natum,
Quem damnas, genitor: potes hunc haurire cruorem,
Nam tuus eſt: potes? ah fallor: tibi ſanguis hic obſtat,
Nam tuus eſt: natum, tuaque hæc tibi viſcera nonne
Eſt animus laniare flagris? hauſtuque cruoris
Exhaurire tuas in nati corpore venas?

Das mihi verba pater, non das mihi verbera; & ira
Parcens optatæ, hoſtili me plectis amore.
Aſt ego verba patri iam non dabo: ſum pius; ergo,
Ille vbi ſuccumbit labefactus amore, parenti
Succurram natus: vires ad flagra, animumque
Sufficiam: ò faciles votis ſi accommodet aures
Gratus & ille meis! ò, quem non lacryma flexit,
Nunc cruor, & nati victricia vulnera flectant!
At pater interea triſtes cum coniuge curas
Verſabat, varijs ſermonibus anxius: illa
(Namque pios animos inflexit ab æthere Numen)
Fernandum miſeram, natumque, Deumque tuetur:
Si natum in ſua caſtra Deus vocat, inquit, ab aula,
Quis neget imperio natum parere vocantis?
Numen, Aloyſij mores teſtantur, in illis
Audiri facilis vox eſt diuina vocantis.
Forſitan & noſtri quondam in diſcrimine partus
Egreſſus medio vix aluum corpore, tactu
Ne ſorderet humi, luſtrali fonte puellus
Purior exortus, ceu Sol exiuit ab vndis;
Quem ſibi vult purum, vel tunc ſibi proluit æther.
Exarſit pater hic animis, & tempora quaſſans,
Vel tibi veſane, dixit, deliria mentis
Afflat Aloyſius? ſic patri pignora ſeruas?
Sic tibi, ſic populo prudens, ſic conſulis aulæ?
Nec Dominos fortaſſe pios hæc ſceptra merentur?
Vix ea: nempe minis ardentem, atque ore furenti
Plura locuturum, accurrens compellat ephebus

Auli-

Aulicus, & patris iura auxiliaria poſcit.
Ah quid Aloyſij tantis impunè flagellis
(Me miſerum!) conclaue tonat? gemit, ardet, anhelat,
Palpitat, inque ſuo moriturus ſanguine ſæuit:
Languida vox, index necis eſt, ſub verbere tergus
Decreſcit: prohibete necem, ſuccurrite nato
Carnifici, ſi viuit adhuc, nec paſſa moram res.
Obſtupuere priùs, ſed mox properantque, ruuntque,
Rimanturque ſimul ſecreta per oſtia natum.
Ille flagris humeros poſtquàm pulſare cruentos
Subſtitit, ignitis precibus feriebat Olympum,
Molle ebur exutus tergo tenus, oraquè cælo
Fixus, & hos lingua depromens cordis amores.
O, qui me tua caſtra ſequi, dicebat, & aulæ
Spernere inane iubes nomenque, & fulgur, Ieſu;
Si tua ſunt, quæ vota mihi ſub pectore feruent,
Ah! ſenſus quandoque etiam genitoris adure,
Vt flammam ſciat ille tuam; nec credat amorem
Natorum eſſe pium, diuina faceſſere iuſſa
Dum vetat, & terris poſtponere ſuadet Olympum.
Heu! quid reſtat adhuc? ſi vota audire precantis,
Cernere nec voluit noſtrum, & miſereſcere fletum;
Quin precibus ſurdas ſi præbuit Aſpidis aures,
Audiat has ergo voces, hos ſanguinis amnes,
Atque hanc, exhauſtis fugientem è corpore venis
Ipſe animam aſpiciat: prius an crudele videbit
Exitium nati, quàm natum donet Ieſu?
Hic cruor eſt patris: quæ ſunt ſua reddo parenti.

Eſt mea libertas, pater hanc mihi nempe viciſſim
Reddat: habet cęlum nati ius omne, patriſque.
Fas natum parere patri? parere Tonanti
Fas eſt natumque, & patrem: ſi iura reſoluit
Ille Dei, ſeruet cur natus iura parentis?
Arbiter ò mundi, Superumque, hominumque poteſtas,
Si cauſam euinco ratione, ò annue tandem,
Et mollire animum, & pectus da vincere patris.
Non vincere parens? quid dudum flagra quieſcunt?
Reſtat adhuc ſanguis. flagra hunc haurite cruorem:
Sanguine clamandum eſt, fruſtra nam verba perorāt.
Hæc ait, & fulmen, tempeſtatemque cruentam
In laceros humeros, renouataque vulnera torquet,
Vulnera luminibus non aſpicienda parentum.
Aſt illi clamore prius; mox impete facto
Impellunt, vincuntque fores: pater antè cruento
Exarmare flagri properabat fulmine natum:
Sed vetuit fuſus cruor vndique, nec pede nati
Purpuream eſt auſus vitam calcare; ſed illum
Seminecem aſpiciens, labefactus pectore tandem,
Atque ſuam expertus, nati per vulnera, cædem;
Ecquis, ait, pugna hac, puer, expugnare parentem
Te docuit? tigridem bene te colubrumque vocarem;
Sed pietas animum inflectit: deſiſte: quod optas
Tandem habeas: i, linque patrem, da nomen Ieſu.
Vix ea, cùm ſubitò arridens Aloyſius, atri
Nubila diſcuſſit mœroris, & iride læta
Ora ſerenauit: tum dulcibus oſcula flagris,

Atque

Atque ſuo in flagris dedit oſcula mille cruori,
Et, vobis, inquit, meâ debeo vota doloris
Inſtrumenta priùs, ſed nunc flagra dulcia, pugnæ
Arma meæ tandem victricia, & omine fauſto
Nuper inacceſſum patris expugnantia pectus.
O bene fuſus humi ſanguis meus, excipe grates,
Quas referunt noſtri æterno cum fœnore amores:
Grāde tibi eſt pretium, redimis dum ſanguis Ieſum.

PILAE

MARMOREAE VERSICOLORES,

In Templo Domus Profeſſę Panormitanę,
Panegyrica poëſi adumbratę,

AD PATRES PROVINCIAE SICVLAE
Panormi ad Comitia congregatos.

POEMA QVARTVM.

AVguſtiſſimi ſtructura Templi, quod iā-pridem in noſtra Profeſſorum Domo, Panormitana Societas excitauit, licèt claudatur vrbis mœnibus; eius tamen famę celebritas euulgata, vix poteſt ipſius Orbis pomœrio coarctari. Molis ſiquidem amplitudine, operis maieſtate, omniūque inter ſe partium

harmonia, adeò paſcit, vſque ad delicias, ſpectatorum obtutus; vt ſine ſatietate voluptatis, nouam ſemper famem exacuat oculorum. Sed inter tot generum ornamenta, quibus illa pręcipuas toto Orbe Baſilicas aut ęquiparat, aut excedit, nihil omnino admirabilius eſt, quàm nobilibus verſicolorum marmorũ cruſtis cõpacta recèns cęlatura pilarum: quibus nempe fulcimentis innititur, ſuperior aureę coronidis faſcia, eodem, quo pilę, gemmantium artificio lapidum ſegmentata. Nemo ſanè mortalium in vrbe fuit, qui perennia illa Templi periſtromata, atque aulęa ſaxea, ſaxeus non ſpectaret: nemo ſpectauit, qui non probaret; vt quotquot ſpectatores aduenere, admiratores inde, laudatoreſque diſceſſerint: cùm pręſertim ſolo biennio abſolutũ fuerit tantum operis, quod ſine tarditatis nota, ſolidi potuiſſet decennij ſpatia fatigare.

Nos igitur, hodierno carmine, poëtica vſi licẽtia, effingemus primo Stygias operi retardando moras, iniectas manibus, & inſtrumẽtis artificũ, dolo dęmonis inuidentis: deinde verò pręfeſtinatam operis celeritatem D. Ignatij noſtri thaumaturgis nutibus adſcribemus, dimidium templi ornatũ veſtra de cauſa maturantis; vt nimirum Societati Siculę, illuc ad comitia congregãdæ, explicaretur ob ocu-

los

los noua illa templi maieſtas, quę tot primoribus Prouincię Patribus, ſua hinc ad Collegia reuerſuris, commune ſingulis foret propagando Templorum cultui incitamentum.

CARMEN.

Vrbs, Siculi Regina maris, tot patria Regnum,
Pōpa Equitū, Procerūq; frequēs, Solymęq; beatę
Aemula, quę felix titulo, & par pluribus vna,
Quadratam quatuor complecteris vrbibus vrbem,
Deſine adoratum Siculis caput, atque vetuſti
Canitiem Regni ob priſcas extollere laudes:
Nam quid adhuc veteri de maieſtate ſuperbis?
Templa, ac Mauſolea viæ, Prætoria, fontes,
Mœnia, portæ, arces, armamentaria, pontes,
Horrea, Tempe, arcus, naualia, & ad mare clauſū
Mole gigantea aggeſti longo ordine montes,
Vt ſinuata pigro requieſcant æquora ſomno,
Priſca iſthæc fuerint decorum argumenta tuorum,
Priſca Panormei monumenta domeſtica faſtus.
Laude noua, maior ſurgit tibi gloria, Memphi
Inuidiam, & ſæclis factura prioribus vmbram.
Aſpice qualis honor Loyolæ in Principe Templo,
Quis nitor, & quali fuerit decor additus arte
Saxigeris pilarum humeris, zonæque ſupremæ,
Quà frons excurrit, redimita coronide, quinis
Fulta ſupercilijs, vbi multus ſpumat Hydaſpes.

Vos modò veſtrę Aedis decora, & compactilis artis
Delicias, ac marmoreæ miracula pompæ,
Inuidiamque, doloſque Erebi, cauſamque recentem
Maturandi operis, Loyolides incolæ Olympi
Promite iam vati; nec enim ſine fulgure veſtro
Tantum operis binos creuiſſe ſtupemus in annos.
Poſtquàm Pilarum latera, ac frontalia ſacræ
Interiora domus, mixtis prætexere gemmis
Pulchra Ignatiadum ſedit ſententia menti;
Haud mora, marmorei ſtudia intermiſſa laboris
Exarſere domi, & vacui ſpatia ampla receſſus
Sueta miniſterio, artificum impleuere manipli:
Viuit opus, crebriſque calent ſaxa icta fauillis.
Ille, volubilium lapſu ſtridente rotarum,
Nobiliora vehit maculoſi viſcera montis:
Dentibus hic serræ mordacis, & imbre cadente
Marmora paulatim lacerat. pars fragmina torret
Pallida ſaxorum, diſcant vt ab igne colores:
Pars cælat fruticum frondoſo emblemate marmor.
Hic flores, & verna parit mendacia, texens
Marmoreos (Phrygia pretioſiùs arte) tapetas.
Limat hic, accenditque rudes in fulgura gemmas
Pumicis attritu: hic iuuenilem cotibus iram
Segnibus exacuit ſcalpris: hic cædis amicæ
Ictibus, inſinuat vitam per vulnera ſaxis
Pęne locuturis. vario ſic quiſque labori
Dum vacat, & viuis feruent ſtudia omnia curis,
Senſit vicina Michaëlis ab ęde rebellis

Luci-

Lucifer, & ſtimulis irę furialibus ardens,
Inuidus hęc fremuit: Tantumne audacia creuit
Ieſuidum? En, hinc ſub pedibus cæli Armiger hoſta
Me premit, atque hinc, coruorum gens nigra laceſſit
Cuſpidibus tot ſcalprorum. De ſtirpe beata
Cretus ego, lux lucis ego prior Ales Olympi,
Reptile nunc Erebi monſtrum de Cęlite tanto,
(Heu pudet!) ignauus decora hęc aliena videbo?
Occidimus ſocij: fuit Orcus, & atra poteſtas.
Vincor Ieſuidum plebe: at non vincar. Auerni
Dedecus eſt ingens, decus hoc, & gloria tanta
Tēplorū, haud patiar: Phlegethōta, ac Tartara teſtor.
Stat prohibere nefas. Labra tunc, digitūque momor-
Sic minitans, pugnique ictu terrā ferit: illa (dit
Scinditur inferius, barathroque dehiſcit aperto.
Tunc exauditi gemitus, tractuſque catenarum
Horrendi, flammęque & fumus, & halitus Orci
Peſtifer. inde tuba Stygij Tritonis, in auras
Accerſitæ, imis exundauere cauernis
Tartareę vmbrarum laruę, nigra monſtra, nefandis
Fœda modis, noctem ore gerunt, oculiſque cometas:
Cornua frons aperit, criſpo coma palpitat angue.
Haud procul hinc, veteris tēpli deforme cadauer,
Semirutum, aggeſtis pendebat vtrinque ruinis.
Cęca ſepulchrorum quondam domus, hoſpita mortis,
Hæc humeris denſos aternę noctis alumnos
Excepit gremio. ſed vix Pręconis ab ore
Concilij cauſam didicere; furente tumultu

Arma citi, arma fremunt, incendia, damna, ruinas.
Sed ſua Tartareos ſcindit diſcordia Martes:
His placet, vt quondam, rupta teſtudine, vtroſque
Precipitare tholos: his ſuſtentacula Templi
Exornanda, imis euellere fulcimentis.
Hos iuuat artificum lacerare in fruſta labores,
Et deprauatis corrumpere ſaxa figuris.
Sulphureas alij accendunt per nubila mortes,
Vt Templum, artifices, atque artes fulmine perdat.
Et iam pręcipites nocumenta in aperta ruebant:
Cùm ſubitò dęmon membris pygmæus, at ingens
Arte doli, fraudiſque, ſuus Phlegethontis Vlyſſes,
Proſilit in medios: Quò vos rapit impetus, inquit,
Quò ruitis Stygij Heroes? conſiſtite: bellum
Ieſuidas contra, Marte aggrediemur aperto?
Nec ſubit, in baculum quantus conſurgat Iberus
Hic claudus? non luce palam, ſed fraude, ſed aſtu
Pugnandum eſt hi, quos cælum tegit omnibus aſtris.
Quid? (meminiſtis enim) galeatum caſſide ſacra
Templi apicem, quidnam fracto cecidiſſe cerebro
Profuit? ęgra oneri cùm cupa fatiſceret, & cùm
Tot lapidum ſtrue, colliſorum, ac præcipitantum,
Semiſepulta ſuas ſepelirent ſaxa ruinas.
En iterum moles rediuiua è funere, ab ipſo
Pullulat excidio generoſior, atque proterua
Fronte giganteos glomerat trans nubila montes.
Accipite ergo meę potius molimina mentis:
De grege monſtrorum (quotquot ſtabulãtur in Orco)

Pi-

Pigritiem ſomni genitricem deſidi; ipſam
Eſt animus medijs furtim immiſcere cateruis
Artificum; operi ipſa moras, atque otia nectat:
Sic vno pugnante, omnes vincemus inermes,
Ac taciti: quid? vincendum, virtute, vel aſtu.
Vix ea; fit planſus, votiſque fauentibus, Auctor
Conſilij fit dux operis, ſuaque orſa faceſſit.
Eſt cauea, immundis Orci in præſepibus, aptum
Deſidiæ ſtabulum, noctes vbi pigra, dieſque
Otia, torpores, oblinia, tædia, ſomni,
Lethæam ad ripam cognata papauera paſti
Obtuſis hærent oculis; Phœbi inſcia, nunquam
Euigilat ſpecus, & noctem complectitur vlnis.
Hic pigra ſquamoſo ſimul hoſpes, & hoſpita dorſo,
Fœda, horrenda, ingens, Erebi teſtudo recumbit,
Semper humum prona ventris pinguedine adorans.
Aſtitit huc dæmon, iuſſæ dux fraudis; & vltrò
Pigritiæ genium, teſtudinis ore latentem
Sæpe laborauit ſtimulorum vrgere procella,
Solicitans fruſtra: citius calcaribus illa
Curreret, Alpina quæ fixa eſt compede cautes.
Illa emenſa viam ſua per veſtigia, nunquam
Id ſpatij, aut ſolidis vix tandem euinceret annis.
Inde ergo vt ſuperas citius graderetur ad oras
Colla aliena premens, Stygios laſſauit Atlantes
Bis denos: ſic vecta humeris, quà reſpicit, Orbem
Faſcinat obtutu: ſegni ſtupet aura veterno,
Torpet iners maris ira, fluunt ignauius amnes,

Ebria & ipſa ſuos hebetarunt ſidera curſus.
Aſt vbi nube latens Erebi teſtudo, ſubiuit
Atria marmoreis operoſa laboribus, oris
Halitus, & Stygię Lethęus anhelitus aurę
Naribus efflatus, vix lenta aſpergine curas
Imbuit artificum, ſubitò populante vigorem
Peſte ſoporifera, & pigro penetrante veneno,
Cuncta hęrent, famulęque manus, arteſque magiſtrę.
Eneruata cadunt ſtudia, imbelliquę domatur
Fraude labor: ſilet artis honos, ingloria mœrent
Marmora, ſemianimeſque iacent ſine nomine gēmę.
Dum ſic ergo pigri ſerpunt contagia monſtri,
Primus adeſſe dolos ſenſit celeſtis Ephebus,
Quem Loyolei ſtimulat cuſtodia Templi:
Vnde cites agens ad clauſtra beata volatus,
Loyolam, ſocioſque mouet. fortè ille ſuorum
Concilio pręerat cæli in conclauibus aureis,
More triennali, & Siculis de rebus agebat.
Vt patuęre igitur Stygię conamina fraudis,
Extemplò per plena Patrum ſuffragia binos
Eligit è ſocis comites Ignatius, & vos
Nomine vterque vno Xaueri, ac Borgia, bina
Fulgura militię Loyolidos, vrna vocauit
Electos, vt contra Erebi molimina, Templo
Inuiſos veſtro propugnaretis honores.
Iamque duos inter comites Loyola, curuli
Nube ſuper, Zephyroſque trahens ad frena iugales
Labitur ad Templum, medioque ex aëre pendens

Biſſy-

Biſſyna vexilli ludibria flectit in vndas,
Ieſùque inſcriptum nomen dat in oſcula ventis:
Nempe erat ex auro lemma hoc: in Nomine Ieſu
Omne genu flectatur. humum tetigere ſuperbę
Tunc Erebi frontes, inuitaque vociferantum
Cornua, terribile, ac ſanctum malè nomen adorant.
Poſtmodò, conſilio meliore, fugàque premunt ſe
Pręcipites, ſtimulatque moras timor: otia, torpor
Iam fugiunt; ſaltus glomerat Teſtudo rotundos,
Ipſaque Pigrities, ſibi iam non pigra, cucurrit.
Sed fugientem Erebum verbis irriſit amaris
Loyola: oh quonam ruitis? conſiſtite: cedunt
Tartarei Martes? vincantur bella ſedendo
Ieſuidas contra: pereant, virtute, vel aſtu.
Quid? quaſſare caput contra, toruumque tueri
Audetis, cælo extorres, nigrantia Ditis
Mancipia? ah miſeros, etiam ſub clade ſuperbos!
Vos ego: ſed præſtat turbata reponere damna
Artificium. Tu Xaueri, quem magna ſiniſtri
Fornicis ara colit, Templi id latus indue gemmis
Textilibus, qua parte tonant oracula roſtris.
Parte alia, mea qua primos altaria honores
Dextra tenent, qua deinde tuo ſtetit ara ſacello
Borgia, gemmiferi tibi ſit cura illa laboris.
Vtraque cura, licet ſibi bina decennia poſcat,
Dimidium tamen hoc, Xaueri è fronte ſiniſtra
Feſtinetur opus, binoſque haud amplius annos
Hauriat: arcanam cauſamque, modumque docebo:

Scilicet intra vrbis felicia mœnia, poſtquàm
Sol referet binos hiemis ſub iura Nouembres,
Militię noſtrę Siculis moderator in oris,
Quem dabo, me plenum, atque mei de nominis igne
Participem, huc proceres Patrum *ad comitia coget.*
Tunc oculis pateat Sociorum gemmea molis
Maieſtas, Siculiſque acuat calcaria Templis.
Inde Syracuſæ,& Catina, & Netum, Drepanũque,
Ac Melite, Libycis quę nunc dominatur in vndis,
Aemula forte, hęc Templorũ ornamenta propagēt:
Principe ab vrbe vrbes diſcant exempla minores.
Sic ait, & biſidę nutu Crucis aëra ſignans,
Arteſque, artificeſque aſpergine Numinis implet.
Quę noua tunc operum facies! exterrita, pulſis
Marmora reſpirant monſtris, & diuite riſu
Exhilarata, ſuos animarunt ſaxa decores.
Cura ergo artificium redimita repullulat, & dum
Ipſe opifex iterum ſtudia interrupta retractat,
Scalprorum Veneres renouans, artiſque lepores,
(Mira cano) è ſaxis ſtupet impatientibus artis
Sæpius iniuſſas erumpere ſponte figuras.
Sic properata breui pendere tapetia Templo
Saxea, ad inuidiam Phrygię conſpeximus artis,
Vincere Arachneas, Belgarum emblemata, telas.
Proh quali pandit ſe maieſtate ſuperbam
Frons auguſta operis! tum quà ſe templa coronant,
Tum Diuis vbi quina patent ſacraria, flauis
Tempeſtate ſua Pactolus inundat arenis.

Qui-

Quina ubi templiferis fulcitur Atlantibus Iris,
Porrectę è manibus puerorum, hinc inde volantum,
Xaueri varię viuunt in marmore laudes.
In medio, claudit quà fibula perſilis arcum,
Parmula nigranti nocteſcens marmore, inaurat
In gentilitio venerandum ſtemmate nomen.
Aſt pilarum humeris quę gloria! parte ſuprema,
Ver roſeum è ſaxis oritur, riſuque perenni
Marmoreã haud metuunt hiemem, nec frigora flores.
Inferius, credas arrecto crine marinos
Ludere equos, Satyróſque; eſt ficta leonibus ira,
Sed ficto veri ſpirant ex ore timores.
Talibus apparet ſimulacris viuida Templi
Maieſtas. veſtro ſed dignior illa theatro,
Plus oculos, quàm noſtra velit ſibi carmina, Patres.

RELIGIONIS
PVERPERIVM
In Votorum inſtauratione.

POEMA QVINTVM.

ARGVMENTVM.

REligionis matris canimus puerperium, treſque eius gemellas filias, Paupertatẽ, Caſti-

Caſtitatem, Obedientiã; nutricis Fidei, Spei, & Charitatis vberibus creditas in tutelam, poëticè fabulamur; ſex fere menſes fuiſſe per dolum nigro trium Eumenidum lacte nutritas. Sed D. Ignatij ſolertia expulſis ijs à fraudulenta educatione nutricibus, admotaſque iterum virtutum vberibus tres alumnas, vitiatam animi valetudinẽ nouo illo ſalubrioris lactis pabulo reſtauraſſe.

CARMEN.

Sexta redit iam luna, nouis cùm ritè iuuentus
Loyolea auris patrium ſibi ſuſcitat ignem,
Aurea ad artifices vt formet corda fauillas.
Tu quoque Muſa nouas meliora ad carmina vires
Reſtaura, renouentque etiam ſua vota Camœnæ.
Laxatos acuens rauca teſtudine neruos
Diſcordem compone ſonum, fidibuſque iuuentam
Reſtitue, vt reſonos animent noua plectra lepores.
Quod ſi frontis honor ſenio mihi laurus inerti
Areſcit reſoluta comis, da fronde recenti
Ter nexus religare nouos: da tempora circùm
Inter Apollineas albeſcere lilia lauros.
Tempus erat, cùm ſemeſtrem de more ſenectam
Iunior Ignati ſoboles corde exuit omnes
Secludens animo triduana per otia curas,
Neglectum vt reuocet votorum in pube decorem.
Inter-

Intermiſſa domi Pallas, taciturnus Apollo
Ora premunt digitis, & iuſſa ſilentia ſeruant.
Damnatæ ſubeunt triduum legale ſacelli
Haſurę pedibus ſolita ad ſuſpendia Muſæ.
At trutina interea librat cenſoria mores,
Correctura palam, niſi quiſque redarguat vltrò
Præco ſibi ac monitor poſitis ſua menda catillis.
Sic certè decus ipſa ſibi fit culpa fatendo,
Expoſitoque ſuæ veniunt de crimine laudes.
Parte alia cælo pietas vacat, ipſa frequentans
Prona genu interius ſacri penetrale receſſus
Libat mente Deum; Cereris dum menſa beata
Delicijs patet expoſitis; vbi fornice ab alto
Ebria coccineo villoſa holoſerica potu,
Multiplici ſulcata crepidine textilis auri,
Ordinibus pendent longis; vbi terna gradatim
Pyramis aſſurgit, ceris & alentibus ignem
Suſtinet alternos, quotquot ſuus artis Aprilis
Longæuos per verna parit mendacia flores.
His dum quiſque calet ſtudijs, laxataque tractat
Frena animi, & religanda nouo tria vincula nexu,
Queis regat indomita ſenſum ceruice rebellem;
Fortè æſtu iuuenis ſacro feruentior vnus
Ante alios, animi quem cultus, & interioris
Vrit amor formæ, ac renouanda gloria mentis,
Nocturnus delubri adytum penetrarat; ibique
Mente ſuperuolitans ſeſe inſinuauerat aſtris.
Nocte illum ſolida orantem, cùm lampas oliuo

Deſi-

Deficiente aleret dubios moribunda nitores,
Languentem precibus ſenſim ſopor occupat, & quos
Somno interrupit, relegit per ſomnia ſenſus.
Ecce puerperio viſa eſt reſoluta recenti
Matrona, acclinis thalamo, ſtratiſque recumbens
Conceptam æthereo iamdudum ſemine prolem,
Tunc forteſſe nouem maturis menſibus, aluo
Se exonerante, obſtetricis Pietatis *in vlnis*
Relligio peperiſſe vno tria pignora partu;
Nempe parem triadem Virtutum, imitata Tonantē,
Pauperies, caſta Integritas, feſtina Voluntas,
Cæca licet, tres vno animo, vnoque ore puellæ.
Illa enixa diu, ſed tunc quoque nixa cubili
Gratantum ſtudia, & procerum officioſa fauentum
Excipit obſequia. huc toto fluit excita regno
Vnda equitum; incolumis Lucinæ vt fauſta ſalutent
Auſpicia, ac dominæ cunabula prolis adorent.
Adfuit albo hiemans Antonius ore, verendam
Canitiem ſed con fero occultante cucullo,
Tardaque nodoſo firmans veſtigia fulcro.
Huc Baſilius, & atro vndans Benedictus amictu;
Præſulis in trabea Auguſtinus, cui caput ambit
Arte Damaſcena bifido ſacra infula hiatu.
Paſtorale pedum curuo ad faſtigia flexu
Dextra gerit, cuius tereti captiuus in auro
Eſt digitus, radians viridanti luce ſmaragdi.
Guzmannſque heros, Domini cognominis heres,
Nocte diem inuoluens bicoloribus indumentis.

Greſsibus huc laceris Franciſcus, paupere ſqualens
In tunica, tegit at viuos cinis ille calores.
Huc etiam gentilitio ſub ſtemmate Ieſu
Ignitis Loyola pater ſe greſſibus infert,
Cunctaque gens Procerum, *ſub Relligione merentũ.*
Illi ergo ante fores Dominæ in penetralibus imis,
Dum fandi expectatur honos, tardantia paſcunt
Lumina textilibus Belgarum ex arte figuris,
Verſicoloratis vbi multa in imagine membris
Verba prope ipſa ſonant (vera ad mendacia) clauſã
Narratura oculis mentem, decora omnia, & omne
Relligionis opus, cognataque ſymbola laudum
Diua animarat acu, radijs incenderat auri
Solem illum, cuius rutilanti Antonius ictu
Saucius, importuna precum faſtidia damnat,
Oraturus adhuc genibus reuolutus in antro,
Sol niſi delicias turbaret, & otia mentis.
P*arte alia, qua ſponte rubo Benedictus inhæret,*
Artifici non pingere acu, ſed pungere credas
Membra ſatellitio ſpinarum; vbi viua cruentat
Lilia, inacceſſam Veneri clauſura rapinam.
Haud procul hinc tremulum reſonæ teſtudinis aurum
Titillans plectro, Franciſcum ita inebriat hauſtu
Aliger harmonico, vt ſileat licet ille beato
Deliquio; tamen ipſa ſoni dulcedo ſuſurret
P*icta, ſed exaudita oculis, prope ſaucius idem*
Figitur in ſimiles transfixo ab Amore dolores,
Quina imitans cædis veſtigia longior Echo

Vul-

Vulnerum amabilium: Franciſcus & alter in vndis
Arte noua incolumis Scyllæas nauigat iras,
Palliolo ſupplente ratem. ſub pondere amico
Stamina criſpantur, liquidos mentita cachinnos
Æquoris, & ficto turgent ea carbaſa vento.
Proximus huic, alienæ inhians Loyola ſaluti,
Igneus in gelidis ſitiebat Tantalus vndis,
Nec fruſtra. glacialis hiems, vel gemmea, verè
Extinguit Iuueni tacitas in imagine flammas.
His oculorum epulis dum paſcitur, ac ſibi fallit
Quiſque moras, fortè agnoſcit ſe quiſque modeſto
Igne dolens vixiſſe ſuas in ſtamine laudes.
Aſt vbi ſemoto patefacta eſt ianua velo,
Excepitque patres tectum geniale, viciſſim
Obſequia alternant de more, ſediliàque implent
Pro meritis, curuàque torum ambitione coronant.
Inde tenella trias, ternis religata lacertos
Faſciolis coram puerilia ad oſcula in vlnas
Poſcitur è cunis. Prior hic Franciſcus alumnam
Stringere Pauperiem laceris amplexibus ardet.
Inde Pudicitiam Benedictus, amabile pondus
Blanditijs fouet. aſt promptam patere Puellam
Clauſis ſponte oculis formoſam Ignatius vlnis
Excipit, & dociles ludit crepitacula ad aures.
Quantus in ore decor ſcintillat! quanta renidet
Virgo genis! nec iam ſolitis vagitibus horrent
Ignotos ſine matre ſinus, procul vbere: at vltrò
Ludere amant, paruoſque labris criſpare cachinnos.

Tergemina hinc proles vbi dudum pendula collo
Iam ſatis amplexus, Patrumque impleuit amores;
Sic orſa eſt thalamo Regina acclinis ab alto.
Scitis quanta, Patres, cœlum ſolatia, quanta
Orbis ſubſidia è noſtris ſperata puellis
Expectet, ſpondente Deo; quotque inſuper Orcus
Ardeat inuidiæ ſtimulis: ſat nempe futuri
Conſcius, & quot damna ſibi de hac prole ſuperſint.
Hei mihi! quæ fortaſſe diu metuenda malorum
Tentamenta parat! ſed contra eludere mens eſt
Artibus inſidias, & fata repellere fatis.
Accipite: extremis ſurgit mihi mœnibus arcis
Munimentum ingens, non expugnabile bello
Præſidium, & dubijs ſtatio fidiſſima rebus.
Intus delicias Regum vetus aula priorum
Seruat adhuc, ſplendentque nouo decora addita luxu.
Hac mihi regales ſecreta in ſede puellæ
Seruentur, dum prima ætas obnoxia fraudi eſt.
Donec adulta olim generoſa pericula Martis
Audeat, & vitiorum æſtus impunè rebelles
Sponte domãs, ſtygijs decoret mea ſceptra triumphis.
Sit modò cura prior, tria alumnis vbere plena
Pectora nutricum toto fidiſſima mundo
Seligere: hæ ſimul exhibeant famulantibus vlnis
Matronale miniſterium, cœlique capaces
Inſtillent cum lacte animos, perque oſcula ſenſim
Inſinuent teneris pietatis ſemina membris.
Indolis & lactis mira eſt concordia: alumni

Sæpe bibunt nigros nutricis ab vbere mores,
Dum niueam ſugunt animam: ſic fata ſedentum
Explorat mentes, pars longa ad ſtamina vitæ
Anteferunt Parcas: pars vbera grata daturas
Maluerint Charites, fauſto tamen omine cunctis
Terna ſedet Virtus diuina, innixa Tonanti,
Nigra, at pulchra Fides, Spes maſcula, viuaq; Amo-
Aetna beata Charis, formoſior ante ſorores. (ris
Has accerſiri ad nutricia munia mater
Imperat, his properè ſobolem committit alendam,
Et charos vteri commendat Diua labores.
Ite, inquit, tria corda mei dulciſſima cordis
Quò vos fata vocant, non ęgrè inuitus, at vltrò
Maternus ſinit ire dolor, iactura ferenda eſt,
Dum redimis leuibus maiora pericula damnis.
Vosque ò, queis noſtræ tutela vicaria prolis
Cælo deſignante cadit, matrem precor omnem
Induite, & matris ſimul, & nutricis amores.
Sic ait, & lacrymas diuiſit, & oſcula natis,
Vnam animam tribus, atque vnum partita dolorem,
Terna igitur nutrix commiſſo pondere onuſta (cê
Quæque ſinum, greſſus monſtratam vrgebat ad ar-
Regia pompa præit, ſequiturque; intuſque relicti
Flos iuuenum, ſtudijs apti famularibus, almo
Lecta miniſterio pubes ſua mancipat vltrò
Obſequia, arcanis læti ſuccedere clauſtris,
Præficitur Loyola arci Dux, ſcilicet vni
Illi adamanteo firmatos obijce poſtes

Clau-

Claudere, ſiue aperire datum eſt. Hic ergo puellas
Vberibus cælo plenis, & lacte beato
Sedula nutribat Virtus, vitæque tenellæ
Aurora occulto creſcens feliciter æuo
Cœperat aſſueto matres cognoſcere riſu.
Cùm fortaſſe rei fama volitante, recentis
Fata puerperii, virtutumque vbera Alumnis
Introducta nouis, captarunt aure maligna (res
Tres Orci Eumenides, ſibique hæc: nunc noſtra ſoro-
Ingenia opportuna dolis, nunc tempus agi rem
Dignam auctore Erebo. nec plura; triumque repentè
Virtutum effigiem notam, cæleſtiaque ora,
Atque habitus quæque induitur. fœdiſſima vultu
Nubila fucantur mendaciter Iride forma.
Molle ebur eſt ceruix, auri crinalis in orbes
Criſpantur mutati angues; geminique cometæ
Frontis, amica (oculi) ſunt aſtra. Aurora colorat
Viua genas, ſua nox animum tamen intus obumbrat:
Os aperit riſum, clauduntur corde dolores.
Alecto Fidei faciem mentitur, agit Spem
Tiſiphone, Charitis confunditur ore Megera.
Sic perſonatæ per clauſtra, obſtantia fruſtra,
Se inſinuant tenues tacitis illapſibus vmbræ.
Nempe vbi ſol medius vocat ad ſua iura diurnam
Ritè famem, ſuadetque breues poſt prandia ſomnos,
Tunc fortaſſe puellari ſolertia matrum
Functa miniſterio, paruis cunabula membris
Implere, ac tacitis ſueuit ſecedere tectis.

Vſque adeò, conceſſa licet, ſunt pernia fraudi
Otia. tunc ergo furtim concordibus horis
Omnes vſque dies nullo prohibente petebant
Eumenides penetrale adytum, notoſque puellis
Prębentes vultus, atque vbera nota nigranti
Sæpius imbuerant decepta labella veneno.
Hei mihi! quàm ſitiente hauſtu malè dulcia blandæ
Lambebant alimenta necis! nutricibus Orci
Feſtiuè arrident venientibus. vbere ab illo
Plena, ſalutares faſtidit nauſea potus
Cœlitis ambroſiæ, veræ quam deinde parentis
Cura redux fruſtra inuitis mulgere labellis
Conatur, ſpernique ſuos miratur amores.
Hinc mores malè degeneres. accenditur ira
Parua licet, ſed ſæpe genis. vagitibus auras
Aſſiduis lacerant: cunabula pendula leni
Exagitata manu, maternaque nęnia nullos
Conciliant ſomnos: macie populante decorem
Exhauſta eſt facies, oculique genæque recedunt;
Squalenteſque gerunt malè viua cadauera laruas.
Sex adeò menſes (ætate fluente) puellæ
Attigerant; nec ſolicitæ tamen vlla parenti
Spes prohibere lucem cęcam, aut cognoſcere cauſas;
Cùm Loyola Pater (quanquam ſeptemplice cura
Terque quaterque diu noctuque inuiſat alumnas
Semper) inaſſueto ſed tunc mage ſedulus æſtu
Nutricum fidis comitatus amoribus, arcis
Improuiſus adeſt penetralibus opportunè:

Dum

Dum nempe Eumenidum præſens audacia dulcem
Lactis amaritiem Stygij, de more, puellis,
Et conſanguineos lacti dat ſugere mores.
Irrupit prior ille aditum, clauſaſque doloſè
Euincit clamore fores, ſolitaque ſalutans
Voce (Deo gratos) nutum Crucis imprimit: aſt vox
Hæſit iners, medioque in nutu dextra pependit.
Quà mihi ſecretæ breuiora per oſtia Matres
Anticipaſtis iter ſine me? nec plura. repentè
Deprenſi trepidare doli, ſubitoque tumultu
Ora, metum confeſſa, fugam meditantur; amicos
Poſt ſimulare animos, & fidi ſigna timoris,
Aſtu nobiliore ſtudent; ſed ſerò. Quis vllas
Occuluiſſe diu iactet ſine vindice fraudes?
Intereà poſt Loyolæ veſtigia matrum
Vera trias ſubeunte gradu iam tecta tenebat.
Reſpicit hic duplicem confuſo errore cateruam
Loyola, agnoſcitque Erebum, licet æqua duobus
Conueniat geminata paris concordia formæ,
Bina Fides, Spes bina, Charis quoq; vox ſed vtriſq;
Vna eademque ſonat; fronſque vna ſororia vultus
Decipit ambiguos. Diuis tunc matribus oh quæ
Aſperat ira genas! (auget tamen ira decorem.)
Dein Stygias tali caſtigant voce nouercas:
Siccine vel nobis coram nos ludere, noſque
Mentiri, ac noſtros furari in imagine vultus
Simiæ Auernales malè pergitis? ergone nondum
Hinc fugitis procul? Eumenidũne audacia tãta eſt,

 Vt

Vt vel cæleſtes mihi faſcinet Orcus Alumnas?
Sidera ſic voluiſtis: ades tamen omine ſueto
Ignati. Ille minis baculi (ceu ſæpe ſolebat
Quo regit infirmos ab aheno fulmine greſſus)
Monſtra domat, cogitque oris deponere laruas.
Ecce ſuis rurſus noſceſcunt ora tenebris,
Cæſarieſque iterum ſolitis redimita colubris
Palpitat, accenſæque rubent in fronte cometæ.
Sic vultu redeunte, tuo dant terga triumpho
Loyola, & pulſis reſpirant atria monſtris.

Eumenidum veras tam fœda in imagine formas
Vt primum trepidæ procul aſpexere puellæ,
Maternos formido ſinus complexa tenaci
Hæret in vberibus nexu; premiturque labellis
Vagitus, doceat ne vox audita latentem.
Sic illæ vberibus virtutum, & lacte priori
Enutritæ iterum, neglecta alimenta ſalutis
Ore bibunt, moreſque nouos; nouus vnde tenello
Reſtauratur honor vultu, atque in corpore vires.
Iamque repentè genis roſei ver dulce decoris
Purpurat, accenditque hebetes in ſidera ocellos
Fax rediuiua: iterum matrem agnoſcentia riſum
Labra cient, balbaſque ſtudent formare lepores.

Hactenus arcani luſtrauit viſa ſoporis
Iunior, excuſſus donec de pectore ſomnus
Abrupit ſimulacra animo: vigilans ſibi veram
Vidit vbique diem vitreis albere feneſtris:
Vanaque adhuc oculis ne ſomnia credat apertis,

Aſſu-

Affuſos genibus ſocios propè cernit, & aras
Mox operaturos ſuper alba in veſtè miniſtros,
Signaque ahena audit, renouandis prauia votis.

GEMINVM SOCIETATIS IESV

SOLSTITIVM

ORATIO

IN INSTAVRATIONE Votorum.

ADeò naturę hominum peculiaris eſt leuis animi volubilitas, vt nihil illi ſit omnino ſtabilius, quàm ſingula ſemper in momenta mutari? homo ſcilicet maioris mundi breue compendium, ac minor orbis voluitur ipſe quoque per gyros ſuos, & in hoc vniuerſitatis theatro, veluti luſoria pila eſt diuinę prouidentię, ludentis in orbe terrarum. quemadmodum enim maior hic mundus ex quatuor elementorum ciuilibus odijs ita eſt concinnatus, vt in alternantium veluti fluctuum viciſſitudine, res omnes è ſinu cauſarum oriantur, adoleſcant, ſene-

ſeneſcant, moriantur, & vbi confectę ſenio perierunt, ad orbis perennitatem denuò renaſcatur; ita pariter homo ex pecuina, ac intelligente natura conflatus, ex mortali corpore animoque immortali, hoc eſt, ex viua morte, ac vita ſemper moriente concretus, ita adhęret ęternitati, vt rapiatur à tempore; ita ſeneſcit corpore, vt animo iuueneſcat, nouitatem ex vetuſtate, immortalitatem ex morte, ex breuitate temporis, ęternitatem poſteram conſecutus.

Huius olim viciſſitudinis memor, Societatis noſtrę Legiſlator ac Parens ſemeſtrę votorum renouationem inſtituit, & Societati ipſi, & orbi terrarum reſtaurando peropportunam. Nocturnus quippe ſiderum ſpeculator cùm didiciſſet è Cęlo, quàm ſordeſceret tellus; vt huius faciem renouaret, ita Societatis leges ad normam cæleſtium orbium conformauit; vt non niſi orbis terrarum ſalubritati deuoueret ſocietas cælo ęmula ſtellas ſuas; atque ex ſiderum fortaſſe diuerſitate, tā varios ſociorum gradus diuiſit Ignatius. Stellas vidit in firmamento fixas: inde nimirum Profeſſorum ſtabilitatem inſtituit. Planetas obſeruauit errantes: inde ad proximorum ſalutem, operarios expediuit; ſi, qui nouo per cælum ambitu adreperent ad emendicatos

crimi-

crinitę lucis honores, pro cometis funeſtiſſimis haberentur. Stellas etiam cadentes, hoc eſt ſordes lucidas, & ementito ſiderum habitu lucis filios inlegitime natos, ſuo poſſe voluit è cælo dimitti. Ego igitur hodierna luce haud longius aberrauerim ab Ignatij mente, ſi inter Planetas, ac ſidera Societatis, eos ſolummodo Soles appellem, qui ſuis adhuc in gradibus oberrantes, renouato ſępius curſu renaſcuntur, vt iure merito ſemeſtris votorũ inſtauratio, bis repetita quotannis, nihil videatur aliud, niſi duplex, hoc eſt hibernũ, atque ęſtiuũ Societatis in Cælo Solſtitium.

In prima illa mundi naſcentis infantia, vniuerſitatis mutabilis exẽplar immotum Deus, cum indigeſtam molem, & chaos in mundi membra diſtribuiſſet, vt aliquem adminiſtrãdę Reip. Vicarium, ac miniſtrum operis haberet inpoſterũ, ex vtero ſterili inanitatis, ac nihili, ex obſcuris parentibus illuſtri loco natum, Solem puerum procreauit. In lucem editus ſuam, ſtatimque adultus vt Gigas Pater Patrię, Mũdique Conſul vigilantiſſimus operoſum hoc vniuerſitatis Imperium ſuſcepit, annorum, menſium, dierum, horarumque varietate gubernandum: curruque temporis rapidisſimo vectus, diu noctuq; excubans, õnes Prouincię ſuę partes irrequieta celeritate dimen-

dimenſus, quietis expers, ac ſomni, ſenex idē, ac iuuenis, anteceſſor ſimul, atque hęres ſui, ſemper abſens, ſemperque pręſens, ſemper moriens, exoriens ſemper, naturam omnem interficit, reficitque, reſque ſingulas, quas viciſſitudine corrumpit, perenni iterum nouitate redintegrat, atque hæreditaria inuicem ſucceſſione reſtaurat.

Iners profectò ſtaret, atque torpeſceret Cælum, Mundique concentus piger, ac tacitus obdormiret, niſi curſu recurſuque ſuo, Sol præiret Anteſignanus, & quaſi Pręcentor armonicus, choris choreiſque ſiderum, gradiendi modos, moduloſque pręſcriberet. quantus omnia veternus occuparet? quàm triſte ſileret in terra, cæloque iuſtitium, quàm deſerta rerum omnium ſolitudo, ſqualeret in Mundo; niſi obeuntis, ac redeuntis æterna lege temporis, interitus, ortuſque rerum perpetuò voluerentur? qui languor? quę deſidia? qui torpor? quę ſenecta ceſſantem, effœtamque parentem naturam arriperet, niſi veris initio natus, & conditus orbis terrarum, ſingulis etiam annis, eodem veris initio, hoc eſt, ſuis iterum ab incunabulis repueraſceret, & ex vltima hiemis ſeneſcentis canitie rediret ad prima verni lactis infantiam, ad vbera leniter rorantium pluuiarum, ad nu-

tricios

tricios Zephyrorum ſuſurros, & vt ita dixe-rī ad faſciolas, atque ad cunas molliſſimas ridentium dulciter floſculorum!

Habet nimirum Annus ætates ſuas, quadripartita ſerie occultoque paulatim gradu creſcẽtes, vt inſtar viuentium corporum, ipſe quoque tener primum atque formoſus, vere nouo pubeſcat, mox feruentior adoleſcat æſtate, deinde iuueneſcat autumno maturior, frigidus denique atque iners extrema hiemis veluti canitie conſeneſcat.

Maximum enimuerò parentis naturæ beneficium eſt, ita olim, temperaſſe nobis viciſſitudines rerum, vt inferior terrarum orbis, futurus ſcilicet humani generis domicilium, nec æſtiuo ſemper incendio feruens, ac torridus conflagraret, nec hibernis ſemper nubibus torpeſcens ac hiſpidus fœdaretur, vt frigeſcente telluris in ſinu ſtaret glacies iners menſes per omnes.

Fingite parumper animo, amœniſſimis hiſce regionibus noſtris, temperata ſub cæli faſcia collocatis, eam cæli intemperiem eamq; aëris aſperitatem inclementiſſimam reſpondere, quam ſub Aquilonari ſeptentrione Boreales incolę patiuntur, toto penitus orbe diuiſi, vbi teſte Vitruuio ſegnis terra, ſituque obſita, nullo vnquam tempore, ex colendis

noua-

noualibus exercetur, vbi ſex ferè integros menſes hiems obſtinata crudeſcit, vbi libertas æquoris errabunda, & effrenes fluminum lapſus glaciali frigoris compede vinciuntur, vbi ſqualida ſemper tellus ac tetrica ſiquos herbarum arborumque fœtus reſoluta ſterilitate conceperat, vitiato ad abortum vtero, nõ niſi informes atq; mõſtroſos enititur: vbi denium nouercalis cæli facies non modò nubibus obducta excandeſcit in iras fulminum coruſcantes; verùm etiam ſemeſtris noctis tenebricoſa caligine ſepelitur. Exhorruiſtis, & meritò, Patres, ad obiectam tantæ ſpeciem vaſtitatis, procreati nimirum ſub amica cæli huius ſalubritate, atque amœniſſimo hoc in horto deliciarum educati, regiones illas veluti figmenta Poëtarum, non greſſibus modò, ſed humanis etiam mentibus eſſe inuias credidiſtis. ſed tam iucundas, ac ſalutares vices, renaſcetium nobis, ſibique inuicem ſuccedẽtium toto anno deliciarum, ita ſolaris munificentię beneficium eſſe fatendum eſt, vt niſi ſol æterno curſus ordine cælũ emenſus, ac viciſſitudine circulorum cęleſtibus terminis peragratis, ſua iterum per veſtigia regrederetur, hoc eſt, niſi binas Solſtitij metas pręfigeret ſibi ad corrigẽdos annuę peregrinationis errores; totus ſanè terrarum orbis, vno ſemper ole,

vno-

vnoque habitu, immotus ac ſordidus obſoleſceret; nec vllo menſium annorumque recurſu, inueteratā ſibi gauderet iuueneſcere ſenectutem.

Hoc igitur ita conſtituto, licet Societatis noſtrę luculentiſſimi Soles virtutum die, doctrinarum ſplendore, exemplorum radijs, fidei, religionis, diuinęque glorię propagatione vniuerſum terrarum orbē longè latèque perluſtrent; non tamen propterea renouarent faciem terrę, niſi curſus etiam, erroreſque ſuos per bina quotannis Solſtitia renouarent: deuota ſcilicet animorum ſaluti Societas, dum radijs ſtudet ſuis alienam opacitatem accendere, eclipſim ſæpenumero patitur, non nubium modò, vel procellarum obiectu; ſed ipſa etiam oppoſitione maiorum ſiderum: ita vt noſtro, vel alieno vitio, lucis defectibus laboremus. quid verò quòd licet oriamur quotidie, quotidie tamen etiam labimur ad occaſum, & ex feruęntis charitatis meridie, palabundus animus, ſerotina ad veſperam declinatione frigeſcit? nonne etiam vbi per cæleſtia ſigna, eaque plus quam duodena, diuini ſimul iuris, noſtrique inſtituti Zodiaco pręfixa nobis, vbi inquam peruenimus ad Libram, atque ad trutinā veritatis, fateri demum cogimur, non niſi perbreues morulas, ac mo-

menta minima eſſe illa, quę vt cælo, ita & nobis cū veritate poſſint AEquinoctia nuncupari; quando ſcilicet in ęqualitate lucis, & vmbrę, hoc eſt in recta animi, & corporis ęquitate ac moderatione, adeò breuiter immoramur, vt vix illa ſint vitę noſtrę veſtigia, quę ab AEquatore medio cęleſtis orbitę non recedant obliquiſsima graduum curuitate.

Nec mirum fortaſſe alicui videri debeat, quòd cum vos ſocios, hodierna luce ſoles lucidiſſimos appellarim, eoſdem etiam tanquā reos redarguiſſe videar orbitatis, ac tenebrarum. Oculatiſſimus etenim ille Cenſor, qui renes penitus, & corda ſcrutatur, in primigenia molitione creatarum rerum, non ſolum aëra, aquam, ignem, tellurem, ac cętera cuncta, quę fecerat; ſed in examen vocauit ipſam etiam lucem, vt videret an eſſet bona: lux ipſa, inquam, cæterorum corporum ſanè princeps atque hæreditario natalium ſplendore nobiliſſima, licet ingenuitate morum, ac ſui puritate candoris incorrupta, atque innocentiſſima ſit; ſiſtitur nihilominus ad tribunal exploratricis diuinitatis, vt lux ipſa quoque fieret amarè, ſi rea reſpiceretur ab oculis Creatoris; diuiſerat enim ipſe lucem à tenebris, cum quibus quia fortaſſe lux fuerat paulò ante commixta, deprehenditur iam quodā

modo deturpata, & neſcio quid caliginis cō-traxiſſe: vſque adeò enim verum eſt, vel ipſam lucem poſſe ſordeſcere ex conſortio tenebrarum. & quamuis luto lux ſuperfuſa quandoque, videatur telluris ſordes ditare potius auro ſuo, quàm contactu vileſcere fœditatis; radios tamen ſuos pretioſiùs cælo ſol fœnerat, quàm telluri. ſi enim in viſceribus montium auri breue fulgur accēdit, cæli tamen in gremio nobiliorem progeniem ſiderum inexhauſta lucis fœcunditate propagat. Nec tamen ideò retardare Societas debet ſuos circuitus ſalutares, quò minus cæli inſtar, orbem terrarum amico ambitu complectatur, ſoleſque ſuos oriri faciat ſuper bonos, & malos; ſic nobis ſcilicet anteſignana luce præiuit luminare maius Ignatius, cuius ignitę charitatis incendia vſque adeò toto orbe flagrarunt in fouenda animorum ſalubritate, diuinique nominis gloria fuſiùs propaganda, vt illud apertè pronunciare ſit ſolitus bene audax, ac piè, ſi integrum ſibi foret, malle ſe ſuperſtitem diu viuere, licet incertum ſuę, certum tamen alienę ſalutis recuperandę, quàm periculis, ac vita functum, ex hoc infeliciſſimo mortalitatis exilio, animorū in patriam reuocari, de ſempiterna ſibi beatitate ſecurum. O ſapientiſſimā, vt cum Chryſoſto-

mò

mo loquar amoris inſaniam! O mercimoniũ in ipſo etiam iacturę periculo, cum maioris ſecuritate fœnoris queſtuoſum! optimo igitur, ac meritiſſimo iure Societas, cæleſtium orbiũ aut ęmula, aut imitatrix, ita Soles ſuos inter cæli terręque confinia collocauit; vt cęlo ſemper adhęreſcerent mente, nec niſi ſoles radiorum veluti manus ad ima terrarum extenderent: & tamen quę primis vt ita dicam digitis ſocietas per orbem operoſa pertractat, quàm illuſtria ſanè, quàm ſalutaria orbi terrarum, quàm longè etiam ſunt quotidianis materiati Solis beneficijs grandiora! Enimuerò ſiquis vnquam noſtris inſtitutis, ac legibus introſpectis, omnes omnino Solis mores, ac munia impleuiſſe Societatem non fateatur, neceſſe planè eſt, vt meridiano is in Sole cęcutiat. E primigenijs olim aquis diurni Solis materies inuiolabilis, & incorrupta concreuit: ex pœnitentis Ignatij lacrymis orta etiam eſt Societatis noſtrę nunquam inueteranda diuturnitas. Sol mundo vix primùm exortus dimidiam extemplò orbis partem ampliſſima ſui luminis diffuſione luſtrauit: Societatem ſuis adhuc in incunabulis vagientem, extra orbis confinia ſoliſque vias, propagari vidit adhuc viuens Ignatius. diurnã cæli faciem aperire; incrementa lucis ſine

decremento diſſeminare, inter nocturnam ſtellarum prolem inſerta cælo monſtra ſiderum illuſtrare, obſtantem nubium caliginem diſſoluere, in aurum eliquare ſterilitatem glebarum, telluris viſcera vitali fomento caloris ad fœcunditatem reſoluere, communis planè Solis pręclariſſima fuerint beneficia. At verò quàm peculiaris, & ſoli pænè Societati ſingularis eſt in erudiendis pueris dexteritas, fides, religio, in explanandis doctrinis perſpicacitas, in fouenda pietate ſedulitas! dilatata fides, religio amplificata, hęreſis afflicta, ſubacta ſuperſtitio, renouatus templorum cultus, diſiecta nubila vitiorum, illuſtratus Oriens, inflammatus Septentrio, repurgata Europę ſeminaria ad fidei fulcimentum, ſodalitia ad pietatis exercitationem, ſuggeſtus, exedrę, Lycea ad ignorantię, ad errorum, ad hęreſum tenebras profligãdas: vt vbi Societatis radius, aut occidit, aut nondum hactenus penetrauit; ibi nocturnæ veſpertilionum facies cęcutirent, ac vagarentur impunè.

Nonne hęc omnia (nec tamen omnia Societatis) nonne inquam tam illuſtria, tam ſalutaria, vt, vel ipſis caligantibus oculis, diffuſos ſolis radios, cælo, terręque beneficentiſſimos exprimere videantur? Quid verò quòd Solis ſimul, & Societatis facies obiectu

M quan-

quandoque ſiderum laborat, ac deficit? ſed oculorum potius labor eſt, ac defectus ex humili nimirum loco intuentiũ, & Societatem, & Solem. illud tamen inficiari ſine temeritate non audeam, Solis noſtri, ſcilicet pręclariſſimam faciem, non adeò defęcata luce niteſcere, vt næuorũ ſit expers omnino, ac penitùs innocens macularum; eiuſque radios ſalutares de orbe terrarum optimè meritiſſimos ita vacuum aëra peruagari; vt vaporum, ac nebularum occurſibus obſcurentur interdum, itàque fœcundare tellurem, vt facile contaminentur commota ſępius aſpergine minutiſſimi pulueris: cuius labeculę licet exiguitate molis inſecabiles, ac indiuiduæ ſint, vt vel ſubtiliſſimam fugiant aciem oculorum; ſi tamen intra peruium ſecretioris cubiculi receſſum immiſſus Solis radius ſolertiùs examinetur ad microſcopium veritatis, deprehendemus profectò in ipſa meridiana luce, quanquam minutiſſimas, at certè innumerabiles immiſceri corpuſculorum volitãtium, quas atomos vocant, fœditates, ac ſordes pęne dixerim cum neceſſitate cõtractas. ſed vtrũque Solis vitium haud nefas quidem eſt poſſe corrigere. licet enim difficillimum ſit, omnes omnino quotidianas atomos è radio Solis excutere; grauiores tamen, & grã-

diuſculas cadere paulatim, ac reſidere neceſſe eſt, ſi interius cubiculum pectoris, nulla tunc animi motibus perturbatione agitatis, pacatū placatumque penitus, ſibi vacans, ac Deo, triduana ſalutaris otij tranquillitate cōquieſcat. Quoties enim experti ſumus præclariſſimos quoſque ſociorum, humanę vitę, quaſi vię longioris, puluere nonnihil aſperſos, ac ſordidos, in ſolſtitiali hac inſtauratione votorum (quātum fas eſt homini) recedentes longiùs à pulueru ēta propinquitate telluris, & ad ſublimiorē cæleſtis Aequatoris gradum propiùs accedentes, non Societati modò, ſed toti etiam orbi Soles conſpicuos illuxiſſe! vt è virtutum Zodiaco, atq; è feruentiſſimo meridie charitatis, nouos ſemper, ac maiores diuinę glorię radios vbique terrarum diſſeminarent: cuius diuini efficacitate caloris excoqueretur omne vitium aëris, ſi quos per inane vapores pigros offenderint, nebularumque ſordes aërcę vel diſſoluerentur ſalubriter in pluuiam lacrymarū, vel in togatam Iridis maieſtatem, verſicolori refractę lucis aſpergine formarentur. Macularum verò neuos in vultu Solis offuſos, obſeruarunt Matheſeos peritiſſimi è Solis meditullio primùm natos, gradatim deinde ad marginem vſque diffundi; & quò lōgius ab-

 ſunt

ſunt à centro, tenuari paulatim, ac gracileſcere, magiſque ſemper ac magis progrediendo purgari, & in ipſo fonte lucis abſtergi, atque euadere in lucem nobiliori quodam genere claritatis: vſque adeò verum eſt, è ſolerti exercitationis attritu, etiam vmbras in lucem degenerare, eaſdemque maculas licet in vultu Solis emanare; diutius tamen manere non poſſe. Et quamuis in quotidiana renouatione religioſę lucis, ac motus, ſi quę ſordes exoriuntur in Sole, in eodem etiam quotidie velut in tumulo funerentur, cùm ſcilicet eruditur dies die, non ſine luminis incremento; haud tamen vſpiam purius defæcatę maculę meliùs illuſtrantur, quàm vbi ęſtiui meta Solſtitij quatuordecim diurnas horas accendit, hoc eſt cum diem aperit, quotquot eunt toto anno, longiorem omnibus, & clariorem, vt iure merito vnicum Solſtitij diem, totius anni lampada diuus Chryſoſtomus appellarit.

Agite iam igitur, qui tot virtutum radijs, ac pręſertim incendio charitatis, non ſine meritorum ſuffragio, ſolarem dignitatem induiſtis ò Socij, ſi cælum veſtrum Societatem grata ſemper recordatione reſpicitis, & cælo veſtro, & orbi terrarum, vobiſque ipſis, vnicum hoc reddite beneficium, vt per retrogradam luminis correctionem ſolaribus ergoribus

bus emendatis, atque exorbitandi procliuitate ſponte refrenata, ad medium rectiſſimi tramitis AEquatorem propiùs accedatis. Solſtitium veſtrum expectat hodierna luce Societas; Soles igitur ſuos aſpiciat, defæcata luminis lampade puriores. id erit ſcilicet inſtaurati Solſtitij clariſſimum argumentū, ſi ex cœleſti ſigno Cancri, ac Leonis, hoc eſt ex animaliū ſidereo ſtabulo, Sol ad Virginē faciat gradū. Nec eam vobis hodie Solſtitij cōditionē, ac legem credatis imponi, quam olim à ducis Ioſue thaumaturga voce indici ſibi Sol auritus obſtupuit, ne contra Gabaon moueretur; cùm ſcilicet obediēte Deo voci hominis, interdictus motu, atque admiratione potius, quàm præcepti vinculo præpeditus, diutiùs ſtetit. Vtinam ſanè nobis ordinatione ſimili perſeueraret dies, vt immotus paulisper tardiùs inclinaret ad opera tenebrarū: ſed Angelicæ potiùs naturæ peculiare eſt, ita tenacem eſſe propoſiti, vt à conſtituto ſemel animi motu nulla vnquam ratione deflectat. Nobis verò in vtriuſque naturæ cōfinio collocatis, vbi viarum tam frequens error, & exorbitandi procliuitas penè noſtris eſt innata viſceribus, aptè conſultum eſt, vt nec in rectitudine omnino ſtabilis mens humana, nec ſuis eſſet in erroribus obſtinata. Quando

igitur vos Societas, non in firmamento defixos, ſed vt planetas errantes, ac palabundos inſtituit, eam ſibi ſpem inde voluit illuceſcere, vt bis quotannis, inſtauratis ſui orbis cardinibus, aperiret cælum nouum, ac terram nouam: ſi ſcilicet eius Soles ſolſtitiali hoc reflexionis in puncto, ita ab errore cæleſtis orbitę cōquieſcerent; vt ad AEquatorē ſponte regrederentur, minoribuſq; cæli noſtri ignibus, anteſignanę lucis prędirent, atque edocerent exēplo, Societatis Soles in duplici renouationis ſolſtitio errores poſſe ſuos facilius emendare, quam facere.

ORATIO

AD PATRES PROVINCIAE SICVLAE cum Comitia haberentur

DE ELIGENDO

PRAEPOSITO GENERALI

Societatis Ieſu, poſt obitum R. P. Mutij Vitelleſchi.

ORbatæ Societatis, extincto iam Parente, grati animi acerbus dolor, et pullatæ familiæ æquiſſimus, & prope intractabilis mæror, ornatiſſimo cōuentu veſtro PP. RR.

veſtroque iucundiſſimo aſpectu, veluti ſolaribus radijs molliter tepefactus; tabeſcit ſuauiter, ſenſimque reſoluitur. nam ſæpe diem procelloſum, & fœdum liquidus excipit ac quietus; & poſt atrocem nimborũ tempeſtatem, cælo tempeſtiuè diſcuſſam, nitidior lux cæli faciem aperit:& nobis ex turbido cordis mœrore,animique triſtitia lætior dies illucet; ex tot ſideribus in vnũ confluentibus, multiplicato fulgore aurea planè lux redit, & cum verna ipſa temperie iucundiſſimum ver oritur; quod & ſerena tranquillitate omniũ animos, mœſtitia penè confectos exhilarat,eaq; benignitate vel ſteriles eloquentiæ campos adeò fœcundat; vt oratores nuperi, ac rudes inter diſertos, politoſque prodeant, ingratumque ſilentium rumpant. Igitur ipſe quoque eiuſdem fauoris fretus fiducia, meæ tenuitatis quaſi oblitus, huius dignitatem loci contingere auſus ſum,rem vobis ad communem vtilitatem, ad publicum commodum redundantem, ſi minus compta, certè fideli oratione, fideliori conſilio ſuaſurus. Nec vos moueat, animoſque admiratione quadam ſuſpendat pubeſcentis adhuc ætatis ſpecies ſuaſoris: & ſi enim per ætatem nihil aut exquiſitum ingenio, aut labore limatum, aut perfectum induſtria, nihil omninò, quod benè ſa-

 pien-

pientiſſimorum auribus ſedeat, poſſum polliceri; quia tamen è Diuorum quoque concilio Mercurius florenti ætate iuuenis internũtius ad homines legabatur, & apud Iapones in more poſitum dicitur, adoleſcentes nobilium nuncia ſolitos apportare; nihil hæſitans hac ego legatione perlubens fungar, nomine ſcilicet Muſarum, ac diſciplinarum, quæ in Societate nullum paſſuræ ſenium ſemper aluntur: quæ quidem in hac quaſi perturbatione rerum de ſua vice ſolicitæ, Mercurium ad vos, hoc eſt eloquentiam legant. Itaque duo potiſſimum ſunt legationis capita, alterum, vt quàm citò Generalis Societatis Præpoſitus veſtra opera, ſtudioque creetur, alterum, vt ſit is, qui tantam molem ſubire poſſit, Atlanteiſque humeris ſuſtentare. Hæc autẽ ita tractabo, vt non quidem monere viros ſapientiſſimos, vltrò incitatos; ſed aut calcaria ſponte currentibus ſubdere, aut potiùs exercendi ingenij partes videar ſuſcepiſſe: prætereà ne noſtra Panormitana Academia inter aliorum ſudores otio ſegniter languere, ſed quo poteſt obſequio, laboranti Matri ſtrenuè opitulari videatur.

Et ſanè in ipſo orationis limine illud mihi ſeſe ingerit opportunè, quod & rei neceſſitatem, qua premimur, ſatis oſtendit, & vt vos

alacrio-

alacriori animo aſſurgatis, nullaq; interpoſita mora, tantum negotium aggrediamini, vehementiùs ſtimulat; effatum inquam Perdiccæ, vnius ex Macedonum purpuratis, qui, extincto iam Alexandro, caſtris Rege orbatis, ciuilibus bellis ingenti tumultu circumſonantibus, vbi inter arma, inſigniaque Regis iacẽtis in conſpectum vulgi ſe dedit, multaque præclarè diſſeruit, demum ſublato clamore: Capite, inquit, Commilitones opus eſt, illudque ſcire debetis, militarem ſine Duce turbã, corpus eſſe ſine ſpiritu. Enimuerò hoc idem vſurpandum nobis ego potiori iure cenſeo, atque huic exercitui noſtro, huic regiæ cohorti, Chriſtianæ Reipublicæ hoſtibus, ipſique Tartaro formidoloſę, aptè accõmodandum: Capite opus eſſe, ne militaris turba corpus ſine ſpiritu iaceat iners, ne palabundum agmen ſine Duce temerè vagetur, ne armatæ, inſtructęque Societatis acies ſine imperio lentiùs agant, inter alternas fluctuantis animi propenſiones ancipiti mente defixæ hæreant, & velut ad hoſtium mœnia torpentes otio contabeſcant. Eequis hoc vnquam, Deus Immortalis, tolerare poteſt, Societatẽ illam, illam inquam Societatem diuinitùs auſpicatam, Cælitum ſemper exornatam beneficijs, ac tutela munitam; ſacrorum Antiſtitum auxi-

auxilijs auctam, Principum, Regumque accumulatam muneribus, obſequijs decoratam, ſtrenuiſſimorum virorum illuſtratam facinoribus, doctrina nobilitatam, meritis locupletatam; nunc inter impotentis fortunæ incautas viciſſitudines, inter iniquas populorum, ac nationum propenſiones, inter armorum, bellorumque inſanos ſtrepitus; inter procelloſos rerum humanarum turbines, ſine Rectore progredi, ſine Rege, ac Duce regi, ducique, ac ſine Nauclero gubernari? Societatem tot Religionis vinculis adſtrictam, tot legibus temperatam, ex tot exteris nationibus conflatam, diu egere Præſide, ac Moderatore, ne ſoluto nexu diſſipata dilabatur, ne perturbato diſciplinæ ordine perperam aliquid aggrediatur, nequid eorum operum, quæ ipſa molitur, minus fideliter ad tectum, faſtigiūque perducat? Sæpè munitiſſimæ arces momento temporis, vbi duce caruerunt, repentino hoſtium impetu ſunt euerſæ: bene ſtructi exercitus, vbi Imperator in acie cecidit, vno rerum articulo profligati ſunt: atque ingentes populos, nationeſque, Regis ſublato præſidio, vaſtauit, ac deleuit incuria. Quid, obſecro, ſi hæreticorum furor callida ſagacitate armatus, vt aſſolet, licentius graſſabitur? Ruptis inferorū cauernis, erumpent illæ pe-

ſtes, ac furiæ, quæ faciem vniuerſam terrarũ exitiali toties veneno fœdarunt, deformarũt, corruperunt: quis tum caput periculis obiectabit? quis tum efferatum impetum cateruatim ruentium hoſtium excipiet? quis impias manus exarmabit? quis indomitas conteret vires? quis rebelles ceruices, trucesque illos ſpiritus franget, trepidationem reprimet, tumultum ſedabit? nempe Socij ad hoc ipſum impigri, atque inſomnes aſſiduò excubantes, qui fidem, religionem, pietatem, ſalutem aliorum toties ſuis vulneribus, ſua cæde texerũt. non inficior quidem: ſed vtrum ad nutum Imperatoris, an ſine imperio dimicetur, plurimum refert. Certè magnus ille Macedo, cùm, prope ſeditione orta, miſſionem milites poſtularent, obſtinato animo affirmantes, nuſquam inde niſi in patriam veſtigium eſſe moturos; Ite reduces, inquit, ite deſerto Rege patrios Lares reuiſuri; iam autem ſcietis & quantum ſine Rege valeat exercitus, & quid opis in me vno ſit. Ea vox ita omnium animos conſternauit; vt pauore exanimati lugubrem totis caſtris clamorem ediderint, arma ante Regiam ingẽti eiulatu, ac fletu nudi ipſi proiecerint, pœnitentiæ ſignum: & tamen iidem ipſi milites erant, qui paulò ante Orbem domuerant, Orientis opes contriuerant,

rant, turres in acie, non hominum corpora; hoſtiles turmas, non propulſantes, ſed vaſtãtes; arces, ac mœnia lacertis magis, quàm arietis ictibus euertentes, diruentes, ſolo æquãtes. Sed nimirũ tunc Rege præliuũ moderante pugnabãt, modò Rege auulſi ſine ſui Ducis imperio reditũ ad Grçciã meditabantur. Quippe vbi Imperatoris, hoc eſt capitis virtus in membra non influit, nec ritè ſuſcipiuntur labores, nec æquo animo tolerantur, militaria munera peruertuntur, perturbatur ſumma rerũ, omnia eneruata claudicant, elubia labant, ac ſuccumbunt, & ſi quid telorũ ingeratur in hoſtes, vigore ducis deſtitutum, languidum, & innoxium cadit; quia hoſtem extinguere, teſte Seneca, maxima eſt virtus ducis. Contra verò cum Imperator animus ſit exercitus, omnibus animum infert, timidiores inflammat, audaciores refrenat, imperitis ſolertiam conciliat, ſtrenuis virtutem corroborat, cadentes erigit, trepidantes confirmat, & quemadmodum, inquit D. Chryſoſtomus, ſecunda nauigatio, ſaluſque vectorum ab vno Gubernatore pendet, peruigili cura clauum tractante, dirigenteque nauigiũ, licèt reliqui per tranſtra fuſi ſomnum capiãt, ita vnus Imperator tanquam è ſpecula cuncta proſpiciens, ſapientiſſimèque diſponens,
inco-

incolumitatem copijs prẹſtat, imminentique diſcrimini totum agmen ſubducit. Venebatur Argo, vt veteres fama vulgauerant, nuper ſub Peliaco vertice conſilio Palladis extructa, nobiliſſima, armiſque fulgentibus cõſpicua vniuerſæ Grẹciæ iuuentute referta; quà ſecundis auris tumentibus velis, quà validis remorum ictibus ignota maria ſulcans; vittata, comata, ramis, ac floribus coronata, vexillis hinc inde fluitantibus, multis ac varijs redimiculis temerè ventilatis, tibiarum ſono, tubarum clangore latè diffuſo, Helleſponti anguſtias, & Euxini Ponti fauces penetrabat, è media Colchide, è penetralibus religioſiſſimi templi, è peruigilis Draconis cuſtodia vellus illud aureum temerario auſu ereptura. nec tamen incolumis omninò euadere quiuit, cùm inter infames Symplegandũ ſcopulos colliſa puppi id adijt diſcrimen, vt niſi peritiſſimus Tiphys Palladis auſpicio gubernaculum moderaretur, ad certiſſimum naufragium in apertas cautes nauis nobiliſſima ruerit; miſera ruina labefactanda. Iam detracto fabulæ inuolucro, reque ipſa penitùs introſpecta, Argo Societatem, ſi lubet, intelligamus, Diuinẹ Palladis ope in ſolidarum virtutum cacumine fabrefactam, doctrina ſingulari exornatam, eruditionẹ auctam,

Hæc

Hęc Heroum ſtrenua manu ex omni natione lectiſſima iuuentute munita, explicatis velorum ſinibus, clementiori aura è cælo captata, ſui quoque conatus felici remigio prouecta, iam auguſtiſſimo ſacroſanctæ Fidei labaro in aëre plaudente, milleque virtutum lacinijs, aura rapiente ludentibus, quæ maria nō trāſmiſit? quos in ſinus non penetrauit? quas oras, quæ regna, quos hominum mores, quę ingenia non explorauit? innumeras exuuias aureas quidem, & cælo dicandas, è tartarei draconis vnguibus extorſit, & cū occupatas Prouincias depopulata fuerit, eaſdem abundè locupletauit: perfidiam fides expulit, religio ſuperſtitionem, pietas parricidia, libidinē cōtinentia, bona ſpes bonorum omnium deſperationem: frugalitas luxuriæ, clementia crudelitati, inertiæ labor, virtutes omnes omnibus vitijs ſucceſſerunt. O fortunatiſſima nauium, Occidentis decus, & gloria, Orientis felicitas, & ſplendor nunquam occaſurus! O Argonautis longè præſtantior, & laborioſior phalāx! erit profectò tempus, cùm poſteri ſtationes illas veſtras viſentes, minoribuſque viſendas tradentes, memorare geſtiēt, quos ſudores veſtros immixtos ſanguine illæ regiones hauſerint, quæ ſiluæ refectiones præbuerint, quę rupes ſomnos veſtros contexerint.

tint. Trophæa, & ſtatuas, aliàque monumenta demolitur tempus, carpit poſteritas, obſcurat obliuio: veſtræ gloriæ laudes, memoriaque, ipſa vetuſtate floreſcent. Verumenimuero, nec tam ſeiuncta, remotàque loca penetraſſet hæc Argo, nec per tot Symplegades, ac Syrtes tot hoſtium vbique inſidiantium, niſi cautus Tiphys, Generalis inquam Prępoſitus; qui vnus gubernaculo aſſidens omnia moderatur, incredibili virtute, ac prudentia nauigium direxiſſet, incolumeque tuta ſtatione collocaſſet.

Satis opinor AA. rei neceſſitatē proſpicitis, quamque ea ſit plena negotij, & impatiens moræ. Venio nunc ad duas potiſſimùm virtutes, omiſſis alijs, quaſi præcipuas dotes omninò requirendas in eo, qui vniuerſæ Societati pręfici debeat, quod mihi ſecundum propoſueram. Altera eſt ſedula illa cura, ac vigilantia cum ſeueritate quadā animaduerſionis coniuncta, non modò in tuendis integris; ſed etiam in reijciendis malè ſanis, ac vitiatis membris, tanquam infelicibus herbis, ſegetes inter amplas ſuccreſcentibus. Sapientiſſimè enim ſenior ille apud Plutarchū grauis quidem auctor, eliminari, arcerique ab vrbe flagitioſum ciuem prudenti conſilio cenſebat, ne vnius fortè infecta contagio

ſce-

ſcelerum, ciuitas fundata legibus, euerſa ciuibus videretur. Nonne ſæpe à leui flatu Zephyri agitata nubecula rorem, aut pruinam effundit in prata, mox ſi fortè animoſior ingruerit Eurus, ſerenumq; cæli aſpectum ſordido collectarum nubium globo fœdarit, formidoloſam excitat tempeſtatem, imbreſq; grandine mixtos excutit in terras? nonne, vt inquit idem Plutarchus, è neglecta lucernula erumpens flammula, inſinuata & refocillata fomentis, euaſit in faculas, ingenteſque moles incendio hauſit? ita ſanè occulta nonnullorum flagitia ab incauto neglecta rectore, & quaſi exiguitate contempta, inteſtinū Reipublicæ bellum excitarunt, latiùſque debacchante ſæuitia, irreparabili lapſu eius occaſum accelerarunt. Ergo qui animo excubat, multa proſpicit, plura mente percurrit, & ſi præſciuerit diffuſa noxiarum corripuiſſe incendia, occurrit extemplò, ſeſe medias in flammas immitit, proprio, ſi oportuerit, ſanguine reſtincturus: ſcilicet occupat flagitia opprimenda, ne pullulent; aut præfocanda, ſi pullulent, ne omninò ſuccreſcant; & inania germina ſuccidit, vt vtilia nutriantur. Non aliter Athenienſes celebrem illam, & apud ipſos ſacroſanctam habitam Deliacam nauem, ruptis, exeſis ac putridis, recentibuſ-

quos ſuffectis tabulatis ſubinde reſarcire, ad reficere conſueuerant; vt tutam à vetuſtate, illæſam à tẽpore, perpetuam ab interitu vindicarent. Altera virtus eſt lenis comitas, & affabilitas ſermonis, animorum ſanè conciliatrix. quippe ita probãda eſt in Moderatore ſeueritas, vt nõ excludatur omnino clemẽtia; ſed vbi opus fuerit benignitate tẽperetur, ſine qua vix adminiſtrari Reſpublica poteſt. Nã quia peſtifera vis eſt, vt Seneca loquitur, valere tantùm ad nocendũ, quò grauior in Rectore ſeueritas eminet, eò magis benignitatẽ commendari oportet: ita vt nullius vnquam contumelia conſtantiã è pectore ipſius extorqueat, nullius flagitiũ expellat animo lenitatem, nullius culpa benignitatem exhauriat. non opus eſt acri vultu, nõ rigida exprobratione, vt colatur ab alijs, vt timeatur à ſuis. Nulli Regi gloria eſt ex ſæua animaduerſione: cõtunditur enim animus, & quicquid indolis ineſt, degeneri trepidatione comminuitur: benignitas reuerentiã, humanitas venerationẽ conciliabũt: ferox, cõtumaxque verberib⁹ equus excutiet põdus, niſi domandi peritus tactu blãdiente permulſerit: at verò nemo tã ferox fuit, quẽ nõ lenitas cicurauerit. Nec opus eſt editis arcibus, nec montium ſe munire lateribus: tutum Ducẽ, ait Philoſophus,

lenitas in aperto præſtabit, atque hanc eſſe arcem inacceſſam, & inexpugnabile munimentum, munimēto non egere; fruſtraque ſe terrore ſuccingere, qui ſeptus charitate nō fuerit, experimento didicimus. Igitur ita ſe optimus quiſque exhibet Moderator, vt nihil hilaritati eius ſeueritate, nihil grauitate facilitati, nihil humanitati maieſtate detrahatur. Sed quid ego quaſi in præceptis diu ſubſiſto, & iam iam occaſuram orationem retineo, vt velut extra ripas licentiùs effluat, quando nobis humentes adhuc ante oculos ex recenti funere, & penè inexterſos obuerſatur ſingulare ſtrenuiſſimi, ac mitiſſimi Ducis exēplar, Mutius Vitelleſcus, adeò ad amuſſim expolitum virtutum omniū ſimulacrum, vt ad ſui imitationem ſuauiter alliciat. Mutius, inquā, orbatæ Societati ereptus Parens, cuius dulcis memoria mihi lacrymas excutit, cuius viuida imago animū ſubiēs mihi pectus exulcerat, cuius nondum extincto, & quaſi intermicāte cinere recaleſcit rurſus parētalis amor, recrudeſcit penitùs ſoporatus, & conſopitus dolor. Si enim præmonuit Plutarchus, vt Prīcipis in adminiſtratione Imperij inſignes diſquirerēt viros, quos veluti ſpeculum ſibi ad imitandum proponerēt, cùm & Rex Regni, & Regnum Regis verax vtique ſpeculū ſit, certè fingenti, formātique mihi nunc qualis

cun-

cunque imperij exemplar, aliquod ne voto quidem concipere occurrit, Mutio ipſo præſtantius, aut elegantius. quod enim virtutis genus in eo viro non eluxit? aut quibus animi ornamentis non viguit? quibus ſapientiæ laudibus nō floruit? ſtudium in eius pectore ardorque incredibilis promouendæ pietatis, ac Religionis vehementer flagrabat, ſingularis prudentia ſuam ſedem in ea mente poſuerat, virginalis modeſtia ita fulgebat in ore; vt omnes afficeret. ſuauitas morum cum eo nata fuerat: nullus horror in vultu, nulla triſtitia, perpetua explicatæ frontis ſerenitas, & linguæ beata copia, leporq; ſupra quàm credi poteſt, animos deuinciebant. vitę ſanctitas ſumma, charitas beneuolentiæ in omnes par: inſectabatur vitia, non homines; nec errantes caſtigare, ſed emendare cupere videbatur. Ille in aduerſis ſemper conſtans, in proſperis temperans, in periculis prouidus, in laboribus impiger, in calumnijs patiens, in laudibus verecundus, omnes in vno virtutes commorabantur; & in Principe vrbe cùm degeret, orbem terrarum non pedibus, ſed operibus, ac laudibus peragrabat. Tuarum virtutum Pater amantiſſime eximia lux, tuarum rerum geſtarum gloria, ſplendorque ſingularis: animus ille cælo perſimilis, ſem-

per ſerenus, ſemper imperturbidus, & pluribus virtutũ radijs, quam cælum ipſum ſideribus decoratus, viuidiora planè ingenia, penitus emaculatam eloquentiã, & linguã exigunt lõgè diſertiorem. fatemur nos tuis laudibus impares, nec propterea tuis laudibus ſeruiimus, ſed ſtudijs omniũ, ſed obſequio noſtro. hoc vnum tamen votis omnibus exoptamus, vt quicunque tandẽ in Societatis regimine tibi ſucceſſerit, tuis veſtigijs ita inſiſtat, tua ſtudia ita æmuletur; tuas virtutes ita imitetur, vt Mutius Vitelleſcus in terris iterũ reuiuiſcat. Vos igitur PP. ſapientiſſimi, quorũ in ſinũ tãto caſu cõcuſſa Soc. cõfugit, oratq; vt veſtra opera qua poteſt celeritate ſuo ipſius vulneri medeatur, ſi quid efficacitatis habẽt Religionis preces, ſi quid momenti commendatio, ſi quid auctoritatis cõfirmatio noſtra, explicate iam generoſos conatus, ſummaq; diligentia, cõſilio, ſtudio, labore, incũbite ad Societatis Moderatorẽ eligendũ; ne tãtus exercitus inter tot hoſtes ſine Duce prælietur, tanta claſſis inter tot rerũ diſcrimina ſine Rectore velificet. Cęterũ veſtri labores in hac opera collocati, erũt procul dubio cælo acceptiſſimi, Romano Antiſtiti periucũdi, Societati vtiles Chriſtiani nominis hoſtibus metuendi, vobis honeſti, Prouinciæ Siculę glorioſi, vniuerſæ denique Chriſtianæ Reipub. ſalutares.

ORA-

IN STVDIORVM INSTAVRATIONE,

Nari habita.

LICET VNICVIQVE ESSE INGENIOSO.

SI ad innumeras ob primi Parentis lapſum indictas humano generi pœnas illud etiã miſeriarum accederet, vt penè diuinum illud ingenij lumẽ, deſperata iam ſuſcitationis ſpe, reſtinctum, nec exiguo quidem relicto ſemine ſuffocatũ, atq; intercluſum penitùs emoreretur; eſſet profectò cur ad deplorandam potiùs conditionem tenebricoſiſſimæ orbitatis noſtræ, quàm ad reſtauratæ Palladis luſtrationem hodierna luce celebrandam tot ſapientiſſimos in vnum viros crederem confluxiſſe. Sed interlucet iam, interlucet ſub languenti ac refrigerato ignorationis cinere conſopitus quidam igniculus, qui appoſito paulìſper doctrinarum veluti pabulo reſpiret ac reuiuiſcat; Quanta enim cum animi voluptate obſeruamus, è puerorum ingenijs, quæ velut in ſilices obſtupuiſſe videbantur, abſtru-

ſas quaſi fauillas quotidiano exercitationis cõflictu trituq; elici, atq; excitari? Hinc nimirũ feruor ille teneriotis ætatis, ſi quãdo de ingeniorũ præſtantia ſermo contentioſus inciderit: hinc ſedula illa diſquiſitio in indagandis ingeniorum veſtigijs: An ſine aſperitate facilis capillorum fluxus, an ſine ſulcis explicata frontis planities, an ſine torpore melancholica corporis conſtitutio, an ſine aëris vitio integra patrij cæli temperies, an ſine frigidiorum ſiderum concurſu mitiora nataliũ apoteleſmata. Quæ quidem omnia cùm ipſe animaduerterem, blanda duntaxat ſpe lactare non paucos, quamplurimos etiam à literarũ ſtudijs remouere, mearum partium intereſſe exiſtimaui, vt ad erigendos conſternatorum animos, id mihi ſumerem argumenti, quo quidem oſtenderem, ingenij poſſeſſionem penes nos ipſos, ac noſtra omnium in poteſtate eſſe conſtitutam.

Ac ne cui veſtrum mira hæc fortaſſe, atque ad exercitationis ſpeciem cõcinnata videantur, in ipſo mihi orationis limine illud conſtituendum eſt, non niſi inter poëtarum figmenta recenſeri debere quicquid de animorum diuerſitate Triſmegiſtus ille Mercurius ſomniauit, antequam in corporum domicilia animi laberentur, craterem mentibus ſingulis

gulis

gulis eſſe propoſitum, quem qui ſolummodo delibarent, torpentes ingenio; qui biberent, acriores; qui denique ad ſatietatem totum ingurgitarent, omnium eſſent ingenii ſplendore florentiſſimi. figmenta illa, inquam, poëtarũ ſunt AA. illud illud verò ratũ, illud omnino fixum, illud veritatis ſuffragio, rationũ præſidio, prudentiorum omnium calculo confirmatum, noſtrum omnium animos ui ſua, ac dignitate pares, eodem veluti Creatoris annulo obſignatos, eandem præſe ferre expreſſæ Diuinitatis imaginem. Neque enim fas eſſe ducebat moderatrix Prouidentia perditiſſimos olim homines impunè ſibi prætenta virium imbecillitate, ſi quando laberẽtur, naturæ vitium cauſaturos, ſua met ſponte corruentis in præceps.

Hoc igitur ita cõſtituto, cùm vnus idemq; animus pro munerum, quibus fungitur, diuerſitate, diuerſa etiam nomina ſortiatur, quà memoriæ, vbi è refertiſſimo mentis horreo creditas quaſi fruges reuoluens in varios vſus expromit: quà voluntatis, vbi meliora quæque propoſita cupiditatis ardore proſequitur, atque complectitur; à peſſimis verò non ſine ſtomacho animi faſtidientis abhorret: quà intelligentia, vbi rerum venatur cauſas, ac rationum veſtigia ſubodoratur. hanc etiã

ſi acutiùs ac ſagaciùs indagauerit, ingenium appellamus; hoc eſt ſpeculum ſapientiæ, vniuerſitatis compendiariam complexionem, ac radium è feliciſſima illa Diuinitatis mente delibatum.

Si igitur noſtrum omnium animis tam pares facultatum gradus, tam æqua naturæ perfectio fuerit, ne mutantibus quidem laudibus impertita; duæ verò illæ, imò etiam ipſiſſima, eademq; atque indiuidua animi ingeniiq; facultas adeo confuſis inter ſe nexibus aſſociantur, vt nec explicari quidem, nedum præſcindi, ſine interitu poſſint, ecquis vnquam niſi mente excutiens, ingenia animis paribus impatia reſpondere poſſe crediderit? homines qs animis omnino ſimiles, ingeniis verò, hoc eſt animis iiſdem longè inæquales ac diuerſos effingere?

Reliquas enimuerò, ſiue quæ corporis, ſiue quæ fortunæ dotes, quæ ſunt ab animo ipſo diſtincta atque ſeiuncta, pulchritudinis elegantiam, vrbanitatis ſales, virium robur, valetudinis firmitatem, diuitiarum affluentiamq; Magiſtratuum dignitatem, honorum titulos, maiorum claritudinem, amicorum officia, ciuium clientelam, iniquiſſimè, nemo id inficias, mortalibus diſpenſari. Floret aliquis pulchritudine, ſed viribus elangueſcit; hunc

ami-

amicorū, hunc ſicariorū turba circūſtat: aliū ſplēdor generis emēdicatus è tumulis, nō ſibimet parta domi facinora, militiæque commendat: magiſtratus ille copijs, hic copias magiſtratibus comparauit: œconomum ſcilicet ſuſtinente orbe Fortunæ, qui cùm, vt ritu poëtarum loquar, ſit ad volubilitatem rotundatus, quos nuper ad ſublimius faſtigium felicitatis euexerat, quid mirum ſi violentiore impetu atq; vertigine ad prona delabens, in præceps vna ſecum repentina celeritate deturbet?

Natura verò Parens, quæ matris amantiſſimæ, non iniquiſſimæ nouercæ nomine gloriatur, & gaudet, ſine inuidia liberis ſuis hæreditario quodam veluti iure ingeniorum diſtribuit facultates, vt quoniam ad feliciſſimam gloriæ immortalitatem procreati ſumus: quæ ſplendidiſſima Diuinæ naturæ cognitione comparatur, hæc adeò ſingulis diſpertiretur æqualiter, vt nō parem poſſimus auiditatis capeſſendæ inexhauſtis illis perēnium bonorum ſcaturigis adhibere.

Sed iam copioſiori ad vbertatem vultu neſcio quem ſecum tacitè admirantem aſpicio, cui forſitan videbor in igne, vel incendio fuiſſe deuaſtatam velle videor ſuſtinere. quorſū enim pro ingeniorū æqualitate ex-

 agge-

aggerantur argumentorum pondera, reclamante ipſa magiſtra rerum experientia? quid? Ariſtotelisne, & Calliæ, Platonis, ac Bambalionis ingenia paria eſſe credendum ſit? quin poſſe, quin debere cum Epicuri gregibus cõparari Auguſtinos, Baſilios, Chryſoſtomos, Damianos, Euſebios, Fulgẽtios, Hieronymos, quos nec trãſacta venerari ſatis, nec ſatis admirari ſęcula poterũt elapſura! crediderim ſanè, nec mea me ludit opinio, non tantum in genarum figura diſcriminis ineſſe, quantum in ingeniorum vi diuerſitatis.

Sed in his refellendis ad id vellem potius oratio ſe conformaret mea, vt horum temporum ſocordiam ingemiſceret, cum præſertim in eorum opione labefactanda non ſit mihi tãtopere laborandũ. Non enim equidẽ inficior P. C. infinita propemodum exiſtimari, quæ in acumine, ac ſtupiditate, quæ in candore, ac verſutia, quæ in robore, ac tenuitate diſcrimina videãt ingeniorum. Hęc aërea illa tenacia, alia ignoſcentia alia feſtinè lenta, quamplurima ex habitu luti expreſſa, nonnulla è cælo diceres delibata: ſunt quę hebeſcũt in ſeriis, quę triumphant in quiſquiliis, quę magis magiſq; Gordianis in nexibus acuuntur. Sed tantam ingeniorum diuerſitatem quo ſcilicet ſub palliolo deſidiam non nulli

ſuam

ſuam conantur obtegere) vndenam exiſtimatis, quibuſue ex fontibus deriuari? Inertia, ſi neſcitis, vna, vna illa peſtis inimica ſapiētię monſtroſiſſimam hanc ingeniorum varietatē parit: vna illa rubigo mentis, & ſqualor animi in cauſa eſt, cur illuſtres alioquin ac ſubtiliſſimę ingeniorum acies in tenebris ſituque conſepultæ ſordeſcant ſine vſu, atque obtundantur: Rectè ſiquidem M. Tullius: eadem, inquit, ingenia etiam in ſenibus manēt, modò permaneat ſtudium, & induſtria. Animis enim noſtrū omnium igneum ſemen illud ingenij excitatum quidem eſt; ſed ea lege excitatum, vt, niſi foueatur pabulo, reſtauretur alimēto, frigidius paulatim reſtinguatur, ac ſpiret: quò verò pīguior doctrinarū ſuggeſta materies, ac ſpecierum veluti fomes ſolertiori ventiletur induſtria, eò viuacius effundat iubar, eò ſublimiora volutet incendia.

Iam verò quoniam cum noualibus ingenia ſępenumero comparantur, ſi permixta variarùm frugum, herbarumque ſemina eodem telluris concipiantur in gremio; hęc proinde ſi redolet ibi vermiculata floribus, hic ſilueſcit horrida ſenticetis, iſtic lęta ſegetibus fluctuat, illic ſegnis inerti ſqualet lolio, aut auenis infelicibus, telluri ne detur vitio? detur ſemini? agricolæ detur, cuius induſtria vel ipſi

feri

feri ſtipites exuere ſilueſtrem animam, no-
uaſque potuiſſent frondes, & non ſua poma
mirari?

Reuoluite amabo vos P. C. vetuſtatis exem-
pla, monumenta conſulite ſeculorum, nihil
profectò tam durum, tam arduum, tam ady-
naton reperiuntur, quod induſtria non
emolliat, non ſuperet, non exequatur. Quid
enim admirabilius, quàm volantes columbas
è ligno machinari? machinata eſt: quàm ex
inanimi ſtatua elicere voces? elicuit: quàm
ludere cæli motus in vitro, coruſcationes in-
cendere, fulmina iaculari? iaculata eſt, incen-
dit, luſit induſtria.

In Achate Muſarum choreas, in gemmulas
Phaëthontis caſum, horologium incluſit in
annulo, excubitorem illum temporis prope
dixerim animatum, dum ſpiritus intus adeſt,
dum per artus recurrentium rotularum infu-
ſa mens agitat molem, dum nec foris indices
deſunt manus, nec æra, velut ora, ſonantia.

At quònam excidit, quod ad confirmandā
vim ſolertiæ exiis, quæ ſubiecta ſunt oculis,
atque ex ipſa vrbis veſtræ ſpecie præparaue-
ram? Delectat, credo, vos in feraciſſimo agro
veſtro, quòd verna ſemper luxuries, & au-
tumnalis ruſticetur vbertas: quòd arboribus
conueſtita, vitibus diſcriminata, hortenſibus

inter-

intercluſa theatris, nec ſine ſubſilientiū aquarū irrigationibus fœcundata Narenſia Tēpe pubeſcāt. Quid verò? nōne hæc ōnia ſine ordine, ſine cultu ſilueſcerēt, cōſeneſcerent, niſi mira agricolarū comeret, ac perpoliret induſtria? Delectat de vrbe veſtra exaudire Arabico idiomate Behelt Nahar fuiſſe compellatam, hoc eſt vrbem fulgoris, vrbem ignis, vrbem dici: iuuat in codicibus legere, à Saracenis olim conditam, in coloniam acceptam, in munitiſſima armorum caſtra inauguratam fuiſſe: tin polin Naron, hoc eſt græcanicè vrbem cuſtodem? Sed creſcente tempore nonne decreſceret, nonne corrumperetur hoc, quod velut informe vetuſtas peperit, ornamentum ac decus, niſi obſtetrix ſcriptorum induſtria ſinu refoueret ſuo, ac monumentorum refricatione ſedula reſtauraret?

Quid demum de amœniſſimo huius loci ſitu? licet enim patrij cęli temperies Eteſiarū ſit blandimentis afflata, alludentis maris propinquitate viuida, ſiniſtro, adeoque proſpero Solis euigilantis radio defæcata; non fuiſſet tamen tam eximiæ nobilitatis ſplendore, ac pietatis propagatione colluſtrāda, non fuiſſet Blaſio illi Proto Archiepiſcopo Meſſanenſi, vtriuſque iuris miraculo, non fuiſſet religioſiſſimo non minùs quàm eloquentiſſimo ve-

Paranympho vitalem ſpiritum præbitura, niſi antiquiſſimæ vrbis veſtræ conditores nacti ſitus opportunitatem, pinnata hæc mœnia, hæc ampliſſima domicilia, vrbem hanc in primis Sicularum fulgentiſſimam nauiter excitaſſent. Tanta vis eſt induſtriæ, tanta ſolertiæ efficacitas. Sinite hic per veſtram humanitatem P. C. vt in ipſo dicendi exitu non ſine ſenſu doloris exclamet oratio: proh morum, proh temporum corruptelam! Quònam extorris aufugit, atque exulauit induſtria? quò laudis amor in palæſtris, appetitio glorię in conuentibus, in litterarijs comitijs cupiditas honeſtatis? Siccine per Deum immortalem non pudet leuioribus ſtudijs obieſſam veſtram indolem humaniſſimam tam parum loci relinquere bonis artibus? Vtinam quantum in luſibus, quantum in fabulis, in venatione, in ſaltationibus, in equorum ſtudijs, in hiſtriorum ſcenis, tantum in ingenij cultu ſolertiæ ac laboris impenderetur; non eſſet profectò cur ingeniorum diuerſitas poſſet, aut mentis hebetudo culpari. Agite dum igitur ſtrenuiſſimi adoleſcentes, ſi glorię ſtimulus, ſi felicitatis cura vos tangit, veſtra omnium in poteſtate eſt ingenio præpollere, velitis modò, modò nō reluctemini. Excutite languentem animum: conſopitos ignicu-

 los

los ſuſcitate: huc huc neruos omnes intendi-te:huc veſtra ſemper deſudet induſtria. Ad honeſtatem patriç, ad generis claritudinem, ad immortalitatem nominis comparandam, Dixi.

VINI VITVPERATIO.

AVdax fortaſſe alicui videbor PP. RR. quod è tam frequenti eloquentiſſimorũ Rhetorum conſeſſu, vnus ego, acerbiſſimas licet non nullorum contentiones in me concitaturus ad dicendum ſurrexerim. Enimuerò prçcipitem huiuſce ruentis in deteriora ſçculi curſum alta exiſtimatione perpendens, nullo me pacto continere poſſum, quin in tantç cladis auctorem, atque originem inuehar. Molliſſimi tot montium tumuli, quibus opulentiſſima Panormus feliciſſimè coronatur, tot mitiſſimæ alendis frugibus regiones in montium radicibus procumbentes, omnes latè vitibus veſtitas hinc inde contemplantibus ſeſe obijciunt:& ſi mecum vniuerſam vrbem perluſtrare volueritis, acriorem in dies vini amorem excitari, illoſque, quibus huiuſmodi liquorem debitis carpere conuicijs honeſtis-

neſtiſſimum eſt, in ſummum vocari crimen; inuidiamque videbitis. Ignoſcite igitur ſi in tam florentiſſima corona, hunc locum adeò amplum, ornatumque immanes ſtultorum impetus, inſanaſque aduerſariorum procellas excepturus, rudis adhuc ad agendum occupaui: tot calamitatum fluctibus impulſus, quibus acriùs, quàm aliàs, noſtra tempeſtate patriam agitari deploramus, remotis puerilibus calamiſtris, quid de vite, & de vino ſentio, paucis expromam. & quamuis initio ſtatim actionis, innumeræ indignandi cauſę me exaniment, quòd nec dicere vniuerſas poſſim, nec gregatim erumpentes differre gemitus; primum tamen aſſerit ſibi locum quidam ab ipſo aureæ Cõchæ conſpectu, accenſus animi, prope dixerim, furor, quòd Panormitanus ager, tum quà in planitiem excurrit, tum quà in lętos aſſurgit colles, vitibus paſſim conſeratur, at quid vtilitatis, (dolorem altiùs in pectore exultantem ſupprimere nequeo) dum annoſas eruitis ſiluas, humum proſcinditis, & ad vites conſerendas, rigandaſque, puras præterlabentis Oreti undas carpitis, quid, inquam, utilitatis ab hac induſtria, inanique labore, exprimitis? infirmiſſima plantarum uitis, quę, nec trunci craſſitudinem, nec ramorum firmitatem, mortalibus ſufficit. Ex

alijs

aliis arboribus nauigia fabricantur, quæ modò ingentem mercium vim, modò valida armatorum robora, modò ſtrenuiſſimos Chriſtianæ Religionis propagatores in vltima Orientis litora, ſummo Religionis, ac fidei emolumento exponunt; ex eadẽ materie portarum clauſtra hoſtibus obijciuntur, Imperatorum prętoria, militum explicantur caſtra, valiorum munimentis exercitus coronãtur, turres, vineæ, teſtudines, quibus acerrimi bellatores intra muros hoſtem coërcẽt, defenſoribus mœnia nudãt, ſolidiſſimas arces crebris tormẽtorum ictibus labefactãt. Omnem hinc oppugnandarũ vrbium apparatum inſtrui, atque ornati videmus. Sola vitis non truncum ad excauandas lintres, non ramos in telorum prębet vſum, non trabes ad tecta ſuppeditat; Imò quaſi vinolentos imitata, cùm ſuis ſe viribus fulcire nequeat, furcarum, arborumque adminiculo ſuſtentatur, viminibus, ne procumbat, retinaculis deuincitur, & ſi fortè pali, arborumque fulcimenta remoueantur, illicò perinde ac ſi temulentorum æſtu agitaretur, in terram incidit, multiplicique lapſu errabunda per humũ ſerpens, in fundos ſeſe inſinuat alienos: quotquot arundines, quotquot offendit arbuſta, ſuis clauiculis veluti expugnata cõſtringit, & obducto deſo frõ-

dium tegmine, quibus implicatur, inum brãs ramos, ſolares radios arcet,& hoſpitum arborum poma ſuos ducere colores iniquiſſimè prohibet. Cognoſcite nunc A A, quàm bene egregium illum bellatorem, qui populabundo ſimilis Indiam peragrauit vniuerſam, Bacchum, inquam, maleficis Cabinis, Satyris procaciſſimis, & inſanientium muliercularũ turmis, vel potius, fœdiſſima multorum ex omni genere animantium colluuie circũſeptum, primùm omnium vitem humano generi demonſtraſſe poëtę cõmenti fuerint. Aſinum deinde, quem, quòd ſarmentorum luxuriantium putationem Nauplię incolas edocuerit, marmoreum erexerant, aſinum, inquam, tam vtilis ac frugiferæ plantæ cultionẽ mortalibus tradidiſſe decantarint. Satis in his poetarum figmentis luſimus, iam mihi vinum, nectareus liquor, vt tumulenti iactitant, ante oculos obuerſatur, & innumeris calamitatum turbinibus, quibus ſui amatores tranſuerſos agit, totam quodammodo orationem ad ſeſe rapit. Vinum blanda effrenatarum libidinum eſt nutrix, grauium noxarum radix, vitiorum ſeminarium, humanæ ſubuerſio mentis, turpitudo morum, miſerandum virtutum omnium naufragium. Vinum atrociſſima linguæ tempeſtas, furens mentis

procella, dedecus vitæ, immanis gloriæ ſcopulus. Vinum ex ingenij ſede acumen, claritudinemq; illam repentè depellit, exturbatq; voluntatē voluptuarijs lenocinijs effœminat, emollit, inflammat. memoriam, cui quicquid pretioſi, quicquid pręclari, aut ex aliorum libris decerptum, aut à maioribus traditum credimus, ac conſignamus, obtundit, hebetat, retardat, nec ſtabilem eſſe, nec in ſe ipſa diutius commorari patitur. O peſtiferum, atq; exitiale venenum! O virtutum voraginem! O fœdiſſimum pacis, tranquillitatiſq; ſepulchrum! ponite nūc ante oculos, vino, crapulaque graues, & quàm turpiter huiuſmodi homines vinum exagitet animaduertite. Caput corporis propugnaculum degrauat, ad humum flectit, & veluti expugnatam arcem demolitur. ita aurium intercipit vſum, vt vel circum fremēte barbarico vlulatu nihil prorſus accipiant. Oculos, qui imago animi, & tacitus quidam ſermo dicuntur, lippos, humorem exudantes, aſſiduiſque lacrymis contabeſcentes reddit. Nihil de ore fœtido dicēdum puto, ne delicatioribus ſtomachū moueat oratio: quomodo popinam exhalet, vt nemo ad colloquendum accedere ſuſtineat, pectus pænè totum ingenti æſtu efferueſcens, accenſum, atq; inflammatum, cor fumantē

halitu opprimit,ac pene ſuffocat: &, vt paucis abſoluam, omnes animi, corporiſq; vires radicitus eneruat egregius ille Lyæus, qui nō tam curas, quàm ebriorum membra, vigorē animorum, omninò temulentos in efferatas libidines, ſummāq; flagitiorū voluptatem faciliſſimè diſſoluit. O ingenij vaſtitas, virtutum depopulatio, truculentus animi, corporiſq; tyrannus! Quæ maris tempeſtas tam atrox vnquam exorta eſt, inuicem luctantibus ventis, ac pertinaci turbine rapientibus fluctus, quæ vino conferri poſſit? cuius vndiq; ita volitant acriores procellæ, intendentibus ſeſe fumeis nubibus, mētiſq; ſerenitatem fœdantibus; vt rixarum inde mugiant fragores, emicent fulgura pręliorum, euerſiones domorum, familiarum excidia, ciuitatum denique naufragia ſubſequantur. Vinum atrociſſimum inter Centauros, Lapithaſq; accendit pręlium: Polyphemū indomitum feritate, viribus immanem, caſſu luce proſtrauit: Laium ad Oedipum nefando ſcelere procreandum ſtimulauit: Cambyſem ad immergendum in filij viſcera gladium impulit. Anacreontem lepidiſſimum Poetam vel vuę acino ſuffocauit: Alexandrum ad tranſuerberandos inter pocula familiares inſtigauit, Clytumq; de ſe optimè meritum ad trucidandum. qui tamen,

vt

vt diſcuſſa ebrietate, tantorum ſcelerum illu-
uie ſordidatum ſe conſpexit, obſtantium fa-
cinorum furijs agitatus, adhuc madidũ ami-
ci cruore ferrum in ſe retorſiſſet, niſi à cor-
poris cuſtodibus fuiſſet inhibitus. Holopher-
nes denique non tam imbellis fœminæ dex-
tera, quàm vino obtruncatus preteritas vi-
ctorias, laudeſque proprio cruore fœdauit.
Nec illud mihi pretermittendum eſt, ſanctiſ-
ſimum, ac religioſiſſimum Noëmum, ipſo
vini hauſtu, cuius vsũ primus inuenerat, mul-
ta ludibria, multaſque contumelias abſor-
buiſſe, cùm filius non modò tanti viri nudi-
tati illuſisſet; verùm etiam alios ad irridendũ
patrem ſubinuitaſſet. O miſera parentis con-
ditio! O clarum premium tanto inuentori ſta-
tim relatum! Finẽ impoſuiſſem, auditores, niſi
nuper, quando tenuis illa pluuia deciderat,
quę vix ſitientem telluris puluerem terſit, ru-
ſticum quemdam, Oreti fluentum in ſuas vi-
tes deriuantem aſpexiſſem: cui ego, ſegetes
torrido ſole moribundæ impallent, tu verò
riuos in tam inutiles plantas inducis. at ille,
Grecas, inquit, rigo vites, Græcum ex his plã-
tulis nectar affatim hauſurus. exarſi AA. &
tanti acerbitate reſponſi commotus, etiam
Greco ſermone in Grecas vites, vinumq; ip-
ſum inuectus ſum. Hæc pauca diſſerui, non,

quòd verear, ne vos, ſingulari prudentia virtuteq; prędìti Iudices, à communi ſapientiſſimorũ virorum ſententia diſcrepetis, qui peſtem hanc Reip. damnatam longè ſemper arcuerunt; ſed vt integerrimum oſtenderẽ animum meum, qui patrię gloriam, communemque vtilitatem, pręterea nihil exoptauit. igitur ſi eiuſdem patriæ cura vos tangit, vnuſquiſq; alacriter illa falce armetur, qua Lycurgus olim ad excidendas infeſtiſſimas vites, malorumque penè omnium lernam. quòd ſi ita euenerit, & vos magna omnium laude ſummaque prædicatione ad cælum vſq; euehemini, vrbeſque noſtræ quàm maximum capient emolumentum.

VINI

ENCOMIVM.

QVamuis ego tacitus PP. RR. ea opinione, quam iampridem de amœniſſima planta ſponte conceptam animis habetis, facilè contentus eſſe poteram; tamen, ne pręclarus iſte Rhetor, qui nouus quaſi Pentheus in Liberi Patris orgia excãduit, aut potiùs, Thracuis Lycurgus in vites nõ falce, ſed eloquentia armatus, debacchatus eſt, impunè huc erupiſſe

piſſe videatur; vitis patrocinium ſuſcipere nō dubitaui, cauſæ potiùs, quàm meo ingenio, eruditioniue cōfiſus. pręſertim cū mihi agēdum ſit apud eos viros, quorum humanitas tanta eſt; vt vel vana differentibus vacuas aures prębere non dedignetur. quid enim vanius, dignumque quòd ſibilis intercipiatur, quàm ſuauiſſimum vitis nectar, quo vita hominum ſuſtentatur, per inuidiam reprehendere? quòd ſi alijs in locis aliquid virium, aliquid firmamenti habet inuidia, hoc tamen in loco imbecilla eſſe debet. dominetur ſanè illa in vulgi ſermonibus, vigeat in iudicijs forenſibus, valeat in opinionibus imperitorum; in ingenijs verò ſapientium vehementes licèt habeat repētinos impetus, ſpatio tamen interpoſito, & cauſa cognita euaneſcat. Primùmdum omnium teneritas, ac lentitudo delicatiſſimæ plantæ, quæ aliorum oblectat oculos, aduerſario ſtomachum facit: vitis, inquit, ad magnifica mortalium opera nihil planè conducit, nihil parit aut ornamēti, aut vtilitatis. verùm ignorat eruditulus Orator à veteribus inter arbores proceritate conſpicuas recenſeri. Nonne in clariſſima Narbonenſis Prouinciæ vrbe Maſſilia, latè vinetis conſita, ex ligno vitis patera affabrè cęlata ſeruabatur, inſigne antiquitatis monu-

mentum? nonne vitigineis gradibus ad ſū-
mum vſque faſtigium Dianæ Epheſinæ tem-
pli aſcendebatur? & Metaponti in Italię op-
pido Iunonis templum ita viteis ſuffultum
columnis magnificentiſſimè erigebatur, vt
tantum pondus ſine ruinæ ſuſpicione ſuſten-
taretur? Nonne auguſtiſſimum Iouis ſimu-
lacrum ex vitis ingenti trunco fabrefactum
diuino cultu religioſiſſimè Populonij acco-
læ proſequebantur? illud etiam adijciam,
quo ſedulus rerū naturalium indagator Pli-
nius, vitem pleraſq; arbores antecellere te-
ſtatur. Non eſt, inquit, ulli ligno æternior na-
tura: quemadmodum enim cedri, cupreſſiue,
& his cognatæ arbores nec tinearum pabulū
fiunt, nec corroduntur vetuſtate; ita iucun-
diſſima hęc planta ea lege prognata uidetur,
ut ſemper incorrupta nullo vnquā infirme-
tur æuo, nulla vnquam diuturnitate cōficia-
tur. Iam uerò quàm amabilis, & quodam-
modo obſequioſa nobilis hæc planta ſuccre-
ſcat, quam alij, ut luxuriantem nimium, &
erratico lapſu aliena occupantem loca crimi-
nantur, facilè animaduertimus. quid enim
aut aſpectu pulchrius, aut gratius fructu, aut
umbra amœnius, aut ſucco ſalubrius reperi-
ri poteſt? quæ nuper rigente hieme, uiridi
frondium pompa ſpoliata ſqualebat, agrico-
larum

larum arte coërcebatur, ne ſarmentis ſilueſceret, trunca ubiq; ferroque amputata lacrymabat è gemmis; ineunte vere, primùm è turgentibus ſarmentorum articulis herbeſcentem eliciens uiriditatem, pubeſcit: deinde ubi reuirentibus pampinis ſatis conueſtita, & iam adulta in arborum erumpit cacumina, nunc ulmum, nunc populum, nunc ſterilem platanū complexa, clauiculis quaſi lacertis ligat, & per omnes partes ſerpentes multiplici lapſu ita confunditur; ut infelices arborum ramos mollibus pampinis ueſtiat, ſertis pendularum uuarum coronet. Nec uitis, ut auaræ quædam fruges, quæ ut primùm turgentibus includuntur uaginis, contra ieiunas aues horrenti ariſtarum uallo muniuntur, circumſepit, cuſtoditque gratiam fructus: ſed prodiga indigentibus exponit, ultròq; hoſpites ad mites iam racemos inuitat. Quis igitur in tam pulchra, ac delectabili plāta ingenioſam, tam naturæ, quàm artis induſtriam non admiretur? propagationem uitiū, capitum religationem, adminiculorum ordines, luxuriam ſarmentorum, flagella in cincinnos retorta, diſpoſitas racemorum baccas, & frondes patulas, ac diſciſſas, ut prętento quaſi umbraculo, & Solis nimios ardores defendant, & aurę aditum aperiant, qua fructus leni-

leniter uentiletur: quarum rerũ admiratione pariter, ac uoluptate captus germanæ eloquentiæ Princeps Tullius: quid ego, aiebat, uitium ſatus, ortus, incrementa commemorem? ſatiari delectatione non poſſum. Sed quoniã in ebrietatis detrimẽto tota uituperatio uerſari uidetur, exquo deinde in uinũ inuectus eſt aduerſarius, hoc mihi maximè diluendum cenſeo. num A.A. furioſam ebrietatẽ turpiſſimã eſſe negabimus? minimè uerò: at ille ſummo ſtudio, atque conatu pernicioſam ebrietatem reprehendere aggreſſus eſt, quaſi non haberet hoc in genere, quod in iudicijs maximè optandum eſt, aduerſarium, atq; ipſos iudices confitentes. Quorſum igitur tot nugæ, tot friuolæ rationes ita crebrò conglomeratæ? credidit nimirùm ſe fœdiſſimæ uinolentiæ probris uinum quoque oneraturum, quaſi uerò quod ex immodico non nullorum uſu enaſcitur detrimẽtum, ex moderato permanare neceſſariò debeat. ignem etiam hoc modo uituperemus, qui licet ſuo fulgore expellat tenebras, arceat frigus, ſtupentia membra foueat, conuiuiorum extruat apparatus, fragilemque mortalium uitam ſuſtentet; tamen ſi alimenta nactus, & uentorum flatu adiutus in flammas eruperit, non modò domum, urbemque ipſam corriperet;

ſed

ſed profuſo latiùs incendio, crepitantibus flammis, ſiluas,ſegetes, proxima quæque deuoraret. Nec aquam, teſte Pindaro, inter elementa præſtantiſſimum, ab eiuſdem uituperationis nota uindicabimus. quamuis enim ea fœcundetur tellus, erumpant flores, ſurgant ſegetes, luxurient uites, & arida mortales leuentur ſiti; ſicubi tamen flumen aſſiduis imbribus intumuerit, ac demiſſioribus ripis altè ſuperfuſum alienis aquis operuerit agros, illicò premit ualles, itàque innatat campis,ut paſſim ruſtica ſupellex, inſtrumenta ruris, armenta ipſa; truncique arborum fluitent, proſtrataq; mœreant ſata lęta, boumque labores. Denique uirtuti ipſi,qua prętantius nihil excogitari poteſt, ſi modus non adhibeatur, magnificentia ſuperbiam, animi ſubmisſio timorem, fortitudo audaciam, æmulatio inuidiam, magnanimitas crudelitatem plerunq; parit. ita planè ex moderato uini uſu hilaritas animi, ſalubritas corporis; ex largiori potu utriuſque detrimentum emanat: ut præclarè Anacharſis inter Scythas ſapientiſſimus innuerat, cùm ex uite tres botros progigni aſſerebat, uoluptatis unum, ebrietatis alterum, moleſtiæ, ac doloris ultimum. cæterum ubi modus acceſſerit, tantam huius utilitatem ſēſerat Aſclepiades; ut eam uix deorum poten-

tia

tia æquari poſſe pronunciaret. nam, ſi Plinio credimus, & ſanguinem alit, & vires fouet, & mēbra corroborat, valetudinē curat, appetētiā ciborū inuitat, conciliat ſomnū, deiectos erigit animos, omneſque triſtitiæ curas diſſipat: vt meritò maiores Liberū dixerint, quod mortalium animos ab ęſtu curarum, ac ſolicitudine liberaret. vinum adoleſcentiæ incrementum affert, iuuentutem firmat, virilem ætatem tuetur, & infirmam refocillat, ac reficit ſenectutem: adeò de humano genere bene meritū, vt ſicut ratione quo ad animum, ita vino quo ad victum à beſtijs diſtemus. Quod ſi vir Deo acceptiſſimus Noëmus, (nā poëtarū deliramenta nihil moror) captus inuenti ſui dulcedine, mero largiùs indulſerit; haud mihi ita facile videtur reprehendendus, cùm adhuc ignoraret ſanctiſſimus ſenex liquoris vim; nec quiſquam adhuc mortalium ebrietatis damna eſſet expertus: itaque ipſius nuditatis irriſio leuitati potiùs improbi filij eſt vitio vertenda, quàm ſoporato parenti. Hæc de vino tempori ſeruientes præluſimus. vos integerrimi iudices, quibus publica commoda, ſacrorumque cura ſēper cordi fuit, vindicate tandem à tam turpi vituperationis nota eum liquorem, qui ab ipſo humani generis Aſſertore in eū honoris

noris apicem euectus eſt; vt ſub eiuſdem augustiſſima ſpecie diuinus ille cruor ſemel in cruce profuſus, ab omnibus adoretur: adeò vt nemo poſthac ambigat, ſintne radicitus extirpandæ vites, an ſerendæ, ac propagandæ: ſit ne inſanientis Lycurgi, an ſapiẽtiſſimum Noę inſtitutum ſedulò arripiendum.

PRO NOCTVA

CONTRA OLIVAM PALLADIAM

IPSAMET MINERVA ARBITRA.

AD patrium, vt aſſolebam, hortulum relaxandi animi cauſa deflexerã, PP.RR. dumque illic æſtiuos Solis ardores ſub vmbroſo defendebam hoſpitio, quod patulis Oliua ramis opacabat, neſcio quæ mihi obiecta ſpecies eſt, qua liquido videbatur, inter Oliuam Palladis arborem, eiuſdemque volucrem Noctuam permagnum exortum eſſe certamen. vociferari, diſceptare, vno verbo, de generis nobilitate contendebatur. quippe intra ſenſitiuorum familiam ſe recenſendam eſſe Oliua poſtulat, Noctua contradicit; & ne aërem verberare videantur, recurrunt ad Iudicem, Pallas eligitur, cui ambæ ſacrę, atq; deuotę

deuotę ſunt, Siluano, aç Priapo teſtibus. diem dant, conueniunt, cauſam agunt, iuuat audire declamantes.

Et volucris quidem: In hoc, inquit, iudicio dum velut actor accedo, non meam ſolùm, Iudices, cęterorumque animantium; ſed humani etiam generis quodãmodo cauſã videor ſuſcepiſſe tractandam. ſi enim eò plãtarum audax ſucecreuit arrogantia, vt ad maiora quoque inhiantes, quicquid in prima rerum molitione à parente natura liberaliſſimè impertitum eſt, elatiori mente faſtidiant, ecquis, amabo vos, audaciæ ac temeritatis animantia ipſa redarguat, ſi ratiocinante etiam animo prædita eſſe, ac ſubtilis intelligentię acie inſignita, ſcrutari cauſas rerum, ac principia inueſtigare, niſu quidem viribus longè diſpare affectauerint? Cùm enim certum ſãctumque ſit in primis rerum exordijs à diuiño Opifice ex nihili inanitate cũcta moliẽte vniuerſam animatorum naturã triplici quadam familia comprehenſa fuiſſe, aç primo quidem domicilio illo beatitatis, aç viuido Creatoris ſimulacro, animo inquam, rationali, deinde verò animantibus ſenſu obnoxijs; ſed vacuis mente, ac rationis expertibus: plãtis denique, atque arboribus, quibus ali ſolũ, nutriri, ſecretaque alimenti attractione ſuc-

cre-

creſcere datum eſt; (Deus immortalis!) ſi plantis ſenſuum, atque appetitus affectiones motuſque concedamus, cuinam viuentium ſolam illam vegetandi rationē relinquemus? At enim, vnde nam, aiunt, oriri poſſe exiſtimemus, quòd ſi falce vitium ſurculos amputes, tam perennes lacrymas, non niſi vi doloris excuſſas emittunt? ſi bipenni vulneres pinum, aut cypariſſum, prorumpente veluti ſanguine, teſte Etruſco Poëta, ſuffunduntur. palmę ipſę niſi coniugio aſſocies, marēq; prope fœminā conferas, nullo pacto ad fœturam reſoluuntur. quòd deniq; Heliotropion indefeſſa capitis volutatione ita circūagitur; vt Principem Planetarum ſiue occumbentē, ſiue renaſcentem defixo ſemper proſequatur obtutu? hęc inquam omnia vndenam exiſtimemus, niſi à ſenſuum affectionibus eſſe profecta? Hæc arbores vnà cum ſuis Manichęis, ac Pythagoricis ſuffragantibus, quorum nomine admonitos hic omnes Rhetores velim, caueant deinceps aut pluribus tropis Heliotropium illud inuoluant, aut metaphoris poſthac orationem illuſtrent, ne caligantes, obtuſęque acies imperitorum transfuſo nimię elegantiæ fulgore cęcutiant, errandique anſam prębitam ſibi forte videantur. recedant neceſſe eſt è literarijs palatijs roſarum

pudor ac erubeſcentia, luxuries vinearum, pratorum riſus, ſegetum lętitia, florum pubertas, ſenectus albicantium populorum, ne paſſionum appetituſque principia videantur indicare. quid? ſudantia ſępenumero marmora, noſtramque Erctam aſſiduò lacrymarum ſtillicidio rorantem munere vitæ perfrui cõfitebimur? quid? magnetem illum, aut electrum vnà cum Poëtę figmentis dicemus;

Quod calor infundit geminis alterna metallis,
Fœdera quod duras iungit concordia mentes,
Flagrat anhela ſilex, & amica ſaucia ſentit
Materiam, placidoſq; chalybs cognoſcit amores?

Sed hęc quoquo modo ſe habeant, ſentiant, lacrymentur, doleant arbores, eſto: quid igitur pręſignatos aut bipennis, aut ſaxorũ ictus, quibus à populo prętereũte ſępius oppetuntur, vel modica corporis declinatione non deludunt? Quàm benè Sulmonenſis vates licet ſuam nucem conqueſtam effinxerit, cùm cecinit:

Quid mihi tunc animi eſt, cũ ſumit tela viator,
Atque oculis plagæ deſtinat ante locum?
Sæpe meas frondes vento tremuiſſe putatis,
Sed metus in nobis cauſa tremoris erat.

Tamen ſub fabulę inuolucro latitantem veritatem ſubinde demonſtrat:

Corpore prœbemus plagis, & ſæpe ſagittis,

Nec vitare licet moto fera vulnera trunco.

Igitur ò Iudices, ac pręcipuè ſapientiſſima Pallas, ſi tuę te volucris cura tangit, age quæſo nomen, honoremque meum vindicato, vt quicquid meo huc vſque generi detractum videtur, æquo, vt par eſt, iudicio ſanciatur. Hæc Noctua: cùi cùm Pallas cum incorruptis teſtibus Siluano, ac Priapo ſuffragata ſit, abſonum etiam rationi, atque alienum à Palladis alumnis exiſtimauero, niſi in hanc ſententiam omnes venerint manibus, pedibuſq; quod ſiquis oppoſitæ opinioni patrocinetur, id pro certo habeat, quod D. Auguſt. lib. de quantitate animæ aſſerit; hunc non niſi impietati ruſticæ, & errori ſacrilego, & magis ligneæ opinioni, quàm ſint ipſę arbores, patrocinari.

ORATIVNCVLA
DE CHRISTI
CRVCIATIBVS.

IAmne reum capitis damnari Deum? iamne mori tot cruciatibus Immortalem? Proh humani generis infandum, atque inhumanum ſcelus! Proh facinus! haud ſciam reuocandum ne potiùs, an è memoria penitus

P remo-

remouendum! (Date veniam dolori, Auditores, luctus enim, ſqualor, quàm artis fucus, & oculorum potius, quàm eloquentiæ flumina exiguntur, vbi cauſam agit, vbi perorat dolor. Quis enim inter intempeſtiuos meridianæ noctis horrores, orationis lumina? inter languidos infirmi Solis defectus, vim, ac robur argumentorum? inter inſtabiles ſuccuſſæ telluris motus, eloquentiæ firmitatem? inter tumultuantis naturæ chaos, partitionis ordinem vllum? inter luctuoſa moriētis Verbi ſilentia, verborum vllum exigat apparatū? Sed quò nam, ſine mentis imperio, mihi lingua, propoſiti malè tenax, in verborum cultum intempeſtiuè dilapſa, tanti facinoris à recordatione diſtrahitur? iamne (iterum) iamne reum capitis damnari Deum? ea nempe iuuat ſæpius in lamenta prorumpere, ea iuuat in ſceleris atrocitate morari, eamque iuuat hodierna (ſiquà eſt) luce, in hac perbreui luctuoſiſſimi funeris comploratione percurrere. perbreui quidem: quanquàm ipſi peroranti dolori liceret vtique & æternitatis, & lacrymarum ad clepſydram perorare.

Hic enimuerò mihi, quaſi venerim in altitudinem maris, animus fluctuat, quid prius, quid deinde obſtupeſcat neſcius, in reciprocatione alternatim veluti colluctante, diuini

hinc

hinc Amoris, humanæ inde iniquitatis. Qua nocte tradebatur, vt pateretur pro eo, à quo ſe patiebatur tradi, tradidit ſemet in cibum, Agnum ſcilicet ſaginatum diuinitate, ac ſuperefluentis conditum dulcedine charitatis. Exiguo deinde ſuorum ſeptus comitatu, egreditur è cœnaculo, vitæ Sator meſſurus mortem, ad hortum Gethſemani ſuburbanũ: hoc eſt à ſponſa ſibi morte inuitatur dilectus è cella vinaria in hortum ſuum, vt comedat dulcia poma? nequaquam (iam pridem illa, ſcilicet decerpſit ſibi prior Adam infelix) vt poſterior eius ſceleris reparator, ſi nõ poma, at comedat fructus pomorum ſuorum. proh quot hortus ille ſilueſcit vepribus pauoris, tædij, egritudinis! proh quot educat ſpinarũ ſemina, breui colligendarum! Hic, diſcipulorum oculis grauatis ſomno, ſed ad ſalutis noſtræ excubias peruigili oculo Diuinitatis (niſi quòd fortaſſe in amoris inſomnio, tædio dormitabat) triſtis vſque ad mortem, prouolutus in faciem, ac cæli inſtar tellurem amplexus, excuſſam mœroris è nube pluuiam cruoris exſudat. O pretioſiorem auro limũ! O lutum, telluri, non iam ſputo, ſed ſanguine diuino commixtum! obcæcatos vtinam oculos in lacrymas aperires! Inde ex amplexu telluris auellitur in proditoris amplexum, vt

tradatur ſcilicet ſplendor lucis æternæ in poteſtatem tenebrarum. Res noua! ſiſtitur Innocentia ad iudicem ſimul & aduerſarium? Res mira! de ſupplicio prius agitur, quàm de crimine? quia nimirum antequàm ab hominibus, fuerat ab Amore damnatus. ibi accuſantibus omnibus, patrocinante nemine (vna excepta taciturnitate) ad primum hiatum oris, in quo dolus inuentus nullus, ferrata audaciſſimi ſatellitis manu depalmatur, vt puer. ex alio mox ad aliud raptatur tribunal, ne deeſſent iudices cauſæ, vbi cauſa iudicibus defuiſſet. Quidnam tamen aggrediuntur ſceleris nocturnæ furiæ? ſiſtite carnifices, abſiſtite. Quid virgas, lictores? quid paratis Romani falces, minimè conſulares? quid virgineũ denudatis pudorem helluones impudentiſſimi? denudari verecundia patitur, patitur alligari ad columnam constantiæ victima, ac verberibus non de more ciuilibus, ad lanienam proſcindi: & ſilet, & obticeſcit tamen, quia dum periclitari virgatores conãtur, utrũ diuina tolerãtia, an ſua ipſorum impietas defatigetur prius, non ſe ab illis perpeti, at pro illis penſitabat. Sed lacerare membra, ſatis erat fortaſſe carnificis odio; carnifici tamen non ſatis erat Amori, niſi ferirentur & plagæ, vulnerarentur & vulnera.

Cre-

Crediderain, ad Oceanum ſanguinis, atq; ad diuini columnam Herculis, non plus ultra progreſſum fuiſſe: miſerum me, eò immanitatis proceſſit impietas, vt ipſamet fieret barbaries acutiſſimè ingenioſa. inaudito ſupplicij genere capitis penetrale trãsfigitur, coronamento vepribus ſiluelcente. egrediantur iam filiæ Sion, vt Regem videant in diademate, non gemmis aſpero, ſed ſpinis, in ſceptro paluſtris calami, atque in lacero iocularis purpuræ palliaſtro. ſic nimirum dolorũ Rex, aut potiùs Cæſar obſequijs auguſtis illuditur, vt crucietur maieſtas ornamẽtis ſuis.

Poſt abſumptam ludibrijs noctem, remoto ioco, ſeriò damnatur. fruſtrà præſes populo exponis ſpecioſum forma præ filijs hominũ. malè conſonant verba verberibus: tam exulcerata congeries vulnerum ſi ſeruaret effigiem hominis, humanitatem ſibi fortaſſe cõciliaret, Sed Deus viuus poſthabitus homicidæ, ſuomet oneratus patibulo, iam adrepit ad collem myrrhæ. crudele eſt beneficiũ, crucis pondere exonerare ſeminecem: ne ſcilicet crucis mortem crux grauis eriperet, ipſa tergus leuitate grauatur. perhorreſcit hinc animus, ac faucibus adhæret meis lingua torpoſcens ad infandam proximi ſceleris immanitatem. finite per Deum immortalem

(ah! mentior) mortalem veriùs dixiſſem: ſinite, inquã, vt in eius vitæ, ac orationis meæ exitu, ipſe pro me peroret elementorum tumultus, ipſa ſaxa commiſeratione contrita, ipſi vita functorum tota vrbe diſcurſus, cælũ denique ipſum, auerſis ab impio ſpectaculo luminibus, tenebricoſum. Ipſe verò ad tam execrandi parricidij recordationem fugiendam, ſola contentus rei narratione, perbreui claudam orationẽ, oculos omniũ recluſurus.

In vrbe, prouinciarum principe, ac domina gentium, in infami Caluariæ vertice, diſcipulo Matris, matre doloris hęrede conſtituta, ipſa vna, recedentibus omnibus, iuxta crucem adſtante, ad incrementum doloris, (ſi quid accedere doloris poterat ad cumulũ doloribus omnibus coaceruatũ) inter nefarios medius, inter irriſores patronus apud Patrem, cruciatus dolore, conſumptus ſiti, derelictus à patre, declinato ad terram capite, ſpiritum emittit, ac emoritur Deus. tanti votus culpa ſtetit. tantũ humani ſceleris proceſſit immanitas. tantum diuini Amoris incendium efflagrauit.

Dixi.

IN

IN DEDICATIONE

SACELLI DOMVS PROBATIONIS Societatis Ieſu.

NOuam magnæ Matri ædem inaugurauimus A A. & ſimul non ante præſtitum illi decus addidiſſe, ſimul dignum virgineæ maieſtate nomẽ excogitaſſe credidimus, cùm eam Angelorum Reginã ſalutauimus. Quid enim vel ad cultum abſolutiſſimæ eius ſanctitatis, vel obſequium auguſtiſſimæ amplitudinis fieri maius a nobis potuit, quàm ædem eius nomini dedicare, aram ponere, ſummã, quæ in terris ſit, venerationem habere, atque in eo faſtigio rerum dominam ac Reginam noua appellatione collocare, in quo vel ſummi Regis æmula, & quodammodo par, naturæ omnium præſtantiſſimæ imperitaret. At enim vereor ne quis veſtrum forte miretur, quòd honorem hunc dedicatæ ædis nouum dixerim Virginis decus, & veluti inauditum protulerim in cæleſtes Ciues imperij nomẽ: cùm tot eius in hoc genere vbique gentium, vbique terrarum decora fulgeãt, quot in ſingulis vrbibus anguli latitant, & auguſtus ille Reginæ Angelorum titulus, cùm vetus ſit, &

omnium antiquiſſimus, tum Virginum beatiſſimæ merito ac iure ſuo iam ab eo tempore attributus, cùm Diuinæ prolis effecta eſt Mater. Quid? cùm nouo & inſolito more, cùm & celebri pompa feſtoque apparatu ædem hanc ſacrari curauimus, cùmque aptũ virgineæ dignitati nomen affingere ſtuduimus, in eam mentem venimus, vt crederemus hãc vnam præ omnibus cæli, terręque Reginam ſedem adamaſſe? hanc ſibi præcipuam delegiſſe? atque in hac iam velle & honorificentiùs haberi, & ſanctiùs coli, & religioſiùs in vota vocari? poſthabita nimirum, ſi Deo ac ipſi Virgini placet, ſanctiſſima ac religioſiſſima æde Lauretana, poſthabita Romana Baſilica, Maioris nomine celeberrima, poſthabitis ſummæ religionis ſacrariis, templiſque magnificis vel Mõtis Serrati in Hiſpania, vel Laudunenſi in Gallia, vel Hellenſi, & Aſpri collis in Germania, & tandem, vt omittam tam longinqua, & ad propiora accedens noſtratia etiam in hoc ordine reponam, relicta in noſtra Sicilia, & veluti à cura & cogitatione dimiſſa æde Drepanitana, Virgini longè acceptiſſima ſede, & ampliſſimi eius imperij veluti auguſtali? Quæ rerum hic noua molitio? qui cultus ſanctior? quę maior dignitas atque maieſtas vel in ędificij magnificen-

ficentiore ſtructura, vt in ritu, ac religione ſacrorum; vt nouum decus magnumque nomen ter maximę Dominę hic ſit adtendum, & maius & auguſtius ſit à tanta Regina hic imperium auſpicandum? An etiam ad eius obſequiū ac venerationem in terris Superi ſint euocandi, an mortales in Cęlites commutandi? Enimuerò hæc vel ſuperbè ſunt à nobis excogitata, vel inaniter ac temerè dicta, nec firma aliqua ratione probāda. Sed adhuc tamen contendimus A. A. nouam dumtaxat Virgini conſecrando ædem, veterique illo Angelorum Reginę nomine eam appellādo, & nouo decore cohoneſtaſſe, & nouo etiam nomine inſigniſſe. Etenim longè aliud ab antiquo illo regno hac maximè ratione illi conſtituimus, & alios quoſdam Angelos eius imperio mancipamus. Noua enim & in terris cæleſtis huius generis naſcitur proles, noua & apud nos Superis non abſimiliū incolarum familia viſitur, ſi Theologorum anteſignano Gregorio Nazianzeno, ſi Hieronymo doctori maximo, ſi æternæ Sapientię oraculo credimus. Atqui tam generoſę ſtirpis hic prima origo, & tam felicium incolarum hic prima ſedes, & terreſtrium horum Angelorum hic nouum Cęlum, in quo ſcilicet illi beatiſſimè viuunt, qui vel minimę la-

ceculæ exortem, hoc eſt cęleſtium Angelorũ puritatem ęmulantur. quod igitur felix, fauſtum, ac glorioſum ſit: nouum potentiſſimę Reginę deferimus imperium, nouam & huius imperij excitamus hic regiam, & nouum, & clarum hic oriri ſpectamus genus, in quod per ęuum ipſa obtineat principatum. Sed agè iam ne cui veſtrum hæc dicta potius ſpecioſa, quam vera videãtur; rem omnem paulò altius repetentes recordamini A A. in prima illa rerum conditarum molitione, triplici quodam genere vniuerſam viuentis naturę rationem à diuino Opifice fuiſſe comprehenſam: quorum primum ac omnium prę ſtantiſſimum illud eſſe voluit, in quo ſimplicium mentium pulcherrimę illę formæ ab omni concretione mortali ſeparatę, omni ſenſu ac figura expertes, ſola intelligentię vi apprimè potentes, miro inter ſe ordine ac dignitatis gradu diſtinctæ continerentur. atque huic ſupremo ampliſſimę totius orbis Reipu. veluti ordini extremum oppoſuit, qui ex humilioribus naturis, veluti ex viliſſimis capitibus conſtans vltimum teneret locum: corporis ſeruitio natum genus, ſenſibus obnoxium, mente ac ratione vacuum. At quod inter hęc duo tantopere ſeiuncta, tantoque interuallo inter ſe diſtantia medio quodam

gradu

gradu atque ordine conſtituitur genus, quicquid inter illa interlucet, quadam cõmunione cõplectitur. Eius enim vnica ac ſingularis forma homo eſt, qui animo & ſenſibus prçditus, nec totus mens, nec totus eſt corpus: ſed ita vtriuſq; partis vim continet, vt vtriuſq; facultatis opera haud difficillimo negotio exequatur. quà enim intelligentia pollet, & aſſurgit, cauſas rerum inueſtigat, principia inuenit, prçterita retinet, futura percipit, deque humanis, deque diuinis rebus non pauca cognoſcit: quà verò sẽſu grauatus quodammodo ad ima deijcitur, fatigatur labore, çrumnis premitur, mox quiete reficitur, cibo ſuſtentatur, & poſt ortum ita creſcit & augetur, vt tandem ſeneſcat, & occidat. Atque ex hoc fit A A. vt cùm in quodã confinio duplicis illius naturæ ſit poſitus, posſitq; ex illis alteruter per cõiunctionem fieri, quocumq; vita, ac moribus acceſſerit, in eius naturam per imitationem tranſeat: degenerabit plane in brutum animal, ſi ſenſu, ac voluptate ducatur: cõtrà ſuperis mẽtibus fiet ſimillimus, ſi vitam ex ratione inſtituat, & quæ ſublimiori illius naturç ſunt propria, pro uirili parte ſectetur. vidit aliquando hominem beluis ſic fœdè coniunctum Pſaltes diuinus, & ad illũ cùm horribilẽ, tum miſerabilem, in

tã vilẽ, aq; abiectã pręſtantiſſimę naturæ mutationẽ gemebundus exclamauit: *ſimilis factus eſt illis*. Vidit eumdem in altiora ſublatum, & in diuina raptum, & ad tam mirum gratumq; ſpectaculum, & ipſe in quemdam mentis exceſſum euectus, ſtupenti non abſimilis effatus eſt. *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes*: quòd ſi homini tantũ facultatis conceditur, vt fieri poſſit Deus, ecquis contendet, vnum è cælitibus non poſſe? Nemini vnquam hac de re dubitare fas ſit, ſi fidem diuinis oraculis habere velit. Ad illud proinde animum intendite AA. qua tandem ratione, ac modo mira hęc, etſi non noua, nec inſolens, ſed perpetua ac prope quotidiana mutatio eueniat. Nam ſi cęleſtium mentium natura his maximè proprietatibus conſtat, vt abſtracta à ſenſibilibus nihil admixtum habeat, quod eniteſcentem illum purę mentis candorem inobſcuret, nihil, quod celeres intelligentiæ motus, quod conſtantes voluntatis impetus vel inflectat, vel retardet, & cum tota ex ſe apta ſit, nullius ad ſui conſeruationem adminiculo egeat, nullamque contrariam vim pertimeſcens, vnum eumdemque ſtatum in omnem æternitatẽ pulcherrimè teneat; quis graphicas has, atque præclaras tam excellentis puritatis imagines, quis eximia hæc, ac ſingu-

laria

lária totius lineamenta naturæ in nouis Societatis alumnis expreſſa non videat? cùm nimirum à cętera colluuione mortalium ſeſe eximunt, cùm in Cælum hoc purioris vitæ ſeſe transferunt, & ante huius Sacelli aram ſeſe conſtituunt? hic etenim A A. ipſa ſpectante Cæli Regina, ipſis gratantibus ac plaudentibus Superis, fit noua illa morum mutatio, & mira illa humanæ in Cæleſtium naturam cõuerſio. hic initur conſtantiſſimum Religioſę vitæ conſilium, tenaciſſimo Angelicæ mentis decreto prope par, quod frangere nulla vis valeat, cui aduerſari nulla potentia audeat: à quo diſcedere ne unguem tranſuerſum aliquando liceat: quod etiam ingratos retinere ſemper oporteat. Hic denique vota illa ſuſcipiuntur, in quibus omnis ſanctitatis ratio, & tota puriſſimę Angelorum naturę expreſſio continetur. At quam creditis ſanctitatem? quam puritatem? ſingularem, eximiam, abſolutam, vno verbo, eam, quam profitetur noſtra Societas. Atque hic neſcio quid maius affari geſtit oratio: nam quid dicam, ſocios noſtros cęleſtes ciues in hoc toto genere imitari, cùm ſciam de triplici hac laude cum ipſis contendere, ac ita contendere, vt non facile de prerogatiua concedant? Eſt quidem illorum puritas multò felicior, at noſtra longè

for-

fortior: eſt illorum pacatior, at noſtra pugnacior: eoq; nomine & illuſtrior & glorioſior, quòd in periculoſiſſimo conflictu perpetuò victrix longè pulcherrimas referat palmas, & pręclariſſimos celebret triumphos, nec poſt triũphos fiat procul ab hoſtibus, ſed inter hoſtes ea pace fruatur, quę maturo iam heroicę virtutis fructu mentem oblectet, & nectareo quodam diuinæ puritatis hauſtu animum beet. An vero & ea laudis excellentia beatarum mentium natura ſupra cęteras emineat, qua nullius ope indigere dicitur, quò illęſa ſeruetur? nihil appetere, nihil quęrere, nihil ambire, quò omnibus cumulata bonis beatè viuat, & ſolida quadam immortalitatę donetur? At veſtrã fidẽ AA. quę virtutis hic exercitatio, quã magna ſequatur laus? quod egregiũ facinus, quod grande meritũ, ſumma ac ſingulari gloria decorandum? quid mirum nihil velle, cui omnia ſuppetunt? quid mirũ contentũ eſſe, qui feliciter viuit? Illud illud omnino rarum, ac longè pręclarũ eſt in vita ęrumnoſa beatè ſe habere, in ſumma rerum inopia omnia commoda inuenire, & comtẽptis quęcumque ampla, magnifica, & honorifica ſunt, in eo regno conſtitui, quod vt ſibi pararet, cęleſte reliquit imperium rerum omnium Dominator. Atq; hoc non Ange-

lis

dis modo eſt parem fieri, ſed ſupra illos planè efferri, & in eo ordine collocari, quo non alius ſuperior ſit. Quid enim ſublimius, quidue præſtantius dici, vel etiam fingi mente valet, cogitatione poteſt, quàm eam uitam uiuere, quā mortali corpore cinctus uixit immortalis Deus? eo bono frui, quod pre ceteris probauit rerum omnium arbitra Sapientia? & in eos abire mores, quibus proximè attingitur, quatenus homini liceat, ſimilitudo Diuina? Atque hic quid dicam AA? eritne gratius Virgini nouū in terreſtres hos Angelos, eo maxime nomine acquiſitum imperium, an vetus ille in Celeſtes Principes Dominatus? non diſſimulabo, quod ſentio, & dicam fortaſſe audaciùs; dicam etiam inſolentiùs; ſed fucum candide veritati non faciam. Quò natura atq; moribus magis ſimiles Nato ſuo terreſtres, quàm Celeſtes Angelos uideat Parens beatiſſima, eò magis gaudet in illos, quàm in hos dominari, eoque libentius id nomen audit, quod nouam, & pre ceteris ſibi gratā memoret dignitatem. Et quamuis duo hec ſeu Celi, ſeu terre puriſſima Angelorum concilia ad nutum, uoluntatemque ſuam prompta, ac parata ſemper ſit habitura Orbis uniuerſi benemerentiſſima Dominatrix; tamen eò pluris obſequia terreſtrium Ange-

Angelorum fieri, quod certa quadam ratione iis præſtare uidentur, quę ſibi deferunt Cęleſtis regni ꝑtimores. Nam hęc quidem (quę celeritas Angelicarum actionum, ac ſublimitas eſt) & numero maiora, & genere quodam ſuo erunt illuſtriora: cęterum illa etſi non ita multa, difficillima tamen erunt, & maximi laboris plena: & ob id iuſta quadā ęſtimatione, & pręclaro quodam merito multò nobiliora, & Virgini eo maximè nomine gratiora. Quidni enim ad nutum tantę Reginę trepident alati illi cœtus, & ad eius capeſſenda imperia dicto citiùs uolitent, qui alas fulminis (quæ à Poëtis memorantur) flatuſque uentorum mira celeritate anteuerterunt? qui immenſa Cęli ſpatia uno pene momento tranſmittunt? qui, quę rectiſſima ſunt, liquidiſſimo intelligentię lumine vident, & à perperam factis penitiſſima notione dignoſcunt? qui ad optima quęque ardentiſſimo amore incitantur, & ad ea pręſtanda uehementiſſimo impetu rapiuntur? At uerò in tam ſublimē paratę, promptę, & abſolutę obedientię apicem nō contendere ſolùm; ſed etiam conſcendere, & altiùs interdum euolare eos, qui corporis pręgrauante mole, qui mentis caligante acie, qui animi torpente ui, nati ſunt retardari, obcœcari, deprimi, id enimuerò uſque adeo

magnū

magnũ eſſe fatearis neceſſe eſt, vt ābigere iure poſſis, an eius generis aliquid ſit, quod dici, aut fieri poſſit vel maius, vel præſtantius: eſt enim res cùm longè pulcherrima, ac difficillima, tũ planè ſingularis, ac prope diuina. Atq; horum omniũ, quæ omni humana fide videntur maiora, teſtes appello duos illos ſanctiſſimos adoleſcentes, Societatis noſtræ puriſſima lumina, ac eius, quē hactenus deſcripſi, ordinis veluti Principes, Stanislaum Koſtkam, & Aloyſium Gonzagam: quàm enim illuſtrem purioris vitæ laudem iis maximè artibus, quas tantoperè commendaui, creditis eos fuiſſe adeptos, qui non niſi Angelici nominis præclaro quodam præconio apud mortales audiunt? quàm vero ſimiles, ac prope pares beatis illis mentibus ipſorum æmulatione virtutũ euaſiſſe arbitramini, qui dies noctesque in diuinarum rerum commentationibus ita verſabantur, vt veluti extra terras poſiti familiari quadam Cælitum conſuetudine frui perpetuò viderentur? At ſimiles dixi, ac prope pares? fugit me ratio, ac fefellit verbum: rectiùs dixiſſem, planè æquales, ac etiam ſuperiores: & quamuis non omnibus, quamplurimis quidē certè. Etenim ſi è cœtu mortalium aliquos futuros ſcimus, qui ob ſingulare præſtantis virtutis meritum tantùm

ſint promouendi, vt poſtquam vita exceſſerint, non in poſtremo, aut medio triplicis illius cęleſtium ciuium ordinis gradu conſiſtant, ſed in ſupremos gloriosè conſcendant; quidni Stanislaum, & Aloyſium in id faſtigium, etſi non primum, à primo tamen non longè inferius euectos eſſe credamus? quorũ alter, quoad in terris vixit, cæli Reginę delicium fuit, eiuſque amoris ſemper viuida, ſemper accenſa fax, ſeu ad excitandã, ſiue ad augendam in virgineo pectore dulciſſimi ardoris puriſſimã flammam. alter verò in ampliſſimo illo Diuorum ſenatu, & ſplendidiſſimo totius glorię theatro ita eminere, ita fulgere viſus eſt, vt inter primores non vltimus eſſe videretur: ſemel enim Magdalenę Pactię pulcherrima eius oblata ſpecies, virginem, rerum cęleſtium alioqui ſcientiſſimam, tanta admiratione defixit; vt planè obſtupeſceret, & non alijs quàm hyperbolicis quibuſdam verbis miraculum viſę rei exprimere valens, exclamauit: Proh quantum gloriæ obtinet Aloyſius, Ignatij filius! tantum in cælo quodammodò non videtur eſſe futurum. Mirũ, nouum, inauditum, ac planè incredibile dictum, ni clara omnino tam ſanctæ Virginis teſtificatione comprobaretur. Quòd ſi non præſtanti quadam ac ſublimi humanę intelli-

gentię vi, vt ſæpe fit, excogitatum illud fuit, ſed planè diuinitus immiſſum ad rei magnitudinem oſtendendam; quis tandem ibit inficias tantum ab immenſo illo æternę lucis fõte in candidiſſimum Aloyſij ſidus ſplendoris deriuaſſe, vt inter puriſſimarum mentiũ clariſſima quæque lumina, beatiſſima illuſtris gloriæ copia redundarit? Et verebimur terreſtres hos Angelos cæleſtibus vel comparare, vel anteferre? Et dubitabimus gratiusne in illos potentiſſimę Reginæ ſit futurum antiquum ius dominatus, an verò in hos nouũ Imperij nomen? faceſſant hinc, ſiqui ſunt, quos aliqua tam illuſtrium rerum dubitatio tenet. Faceſſant, qui inania hæc amplitudinis nomina credunt, non autem ſolida virtutis, & gloriæ argumenta. At vos ò Socij, quibus hęc eadem vel ipſo experimento, ac luce quadã Diuina certiſſima ſunt, ac maximè clara, firmate animos, menteſque excitate, & quam pulchrè ſtetis in excelſo hoc Angelicę puritatis gradu contemplantes, ad eum pro virili parte non adnitimini; idem vobis qui Aloyſio, qui Stanislao, qui Bercmanio, ſexcentiſque alijs cæli huius, in quo & vos viuitis, incolis Angelis paratur honoris apex, idem exaggeratur gloriæ cumulus. Vobis enim pręcipuè dedit Deus, vt in eam hominum

Societatē nomina daretis, in qua omnia ſunt cęleſtis imitamenta militię, idem viuendi modus, eadem pugnandi ratio, idem armorum genus, ſtudia, exercitationes, prælia eadem: quin eos ipſos habetis hoſtes, quos iam tunc ab initio habuerunt fortiſſimæ ac glorioſisſimæ cæli legiones, contra quos etiam valdè ſimilibus coniunctiſque viribus, & cōmuni quodam Marte pugnatis. Dux tamen vnus certus, idemque magnus deſiderabatur, qui tam egregiam vtriuſque militiæ veluti pubem vno eodemque nomine inſigniret, & proprio quodam ſigno ad bella vocaret. En igitur vobis fauſta, & candida hæc affulſit lux, qua Dei parens auguſtiſſima, ipſo probante ac iubente Rege filio, vtriuſq; exercitus declarata Imperatrix pulcherrimum illud cælo delatum extulit puritatis vexillū, & in hac ęde, veluti noui Imperij arce collocauit; vt ſub quo inſigni puriſſima Angelorum militabant agmina, ſub eo cogerentur quotquot ex humana iuuentute, cęleſtis militię modo, ſub tanta Imperatrice vellēt mereri, & ne iiſdem moribus ſolùm & inſtitutis; ſed nomine etiam ac ordine ſimiles eſſent, à ueteranis illis ad nouos hos milites communicato nomine, Angelos vtroſque nuncupauit. Agite iā igitur ò fortiſſimi bel-

la-

latores, nouę Imperatricis lectiſſima cohors, magnos ſumite animos, nouos excitate ſpiritus, & ardentioribus virgineę glorię vbiq; quęrendę ſtudiis inflammamini. Sub auſpicijs tantę Reginę maiorum facinorum inceptate momenta,& maiorum operum mouete molē. Funeſtius iam hoſti Tartareo indicite bellum, frangite infernas opes, contundite teterrimas legiones, tenebrarum Principes, ac Dynaſtas aëreos profligate. Ite citi, ite alacres ac veloces,& vbi Oceanus amplexu ſuo claudit terrarum orbem, & vos Mariani Imperij proferte fines. excitate vbique locorum Virgineo nomini templa, nuncupate ędes, ſacrate aras,& ſacella inaugurate, quę ſint præſtantiſſimæ eius gloriæ trophæa, & amplisſimi dominatus inſignia,& maximæ potentiæ monumenta: cui vos quicquid egregijs facinoribus patrabitis glorioſum, gratisſimis animis acceptum referetis.

ORATIO SYNODALIS,

QVAM CANONICVS NOSTER inſulatus, & dalmatica ornatus in Cathedrali Baſilica de ſuggeſtu habuit Coram Illuſtriſsimo, & Reuerendiſs. Domino

D. IACOBO DE PALAFOX, ET CARDONA Archiepiſcopo Panormitano,

Et circumfuſo eruditorum hominum, atque Optimatium flore, ad vniuerſam Synodum Diœceſanam, die Sabbati primo manè Kal. Iulij MDCLXXIX.

ERAT NAVIS IN MEDIO MARI, &c. Marc. cap. 6.

IN primo olim nauticę artis exordio (Illuſtriſſime Pręſul, Patres Reuerendiſſimi) in primo, inquam, nauticę artis exordio, cũ nondum creuerat nauigandi fiducia, vix è ſinu Telluris matris audebant longiùs paruæ rates auelli: tranare lintribus fluuios, proximiora portui maria cymbis attingere, ea prima erant naufragiorum præludia, prima audaciæ rudimenta. at ſoluto deinde paulatim timore, eò temeritatis proceſſit hominum con-

confidentia, vt neglecto tam promptæ mortis diſcrimine, velis remiſque ſolicitarent maria, hoc eſt laceſſerent ſuomet in regno pericula; nec vicinas ſolùm, ſed extra mundi confinia, toto diuiſas orbe quærerent regiones, humanis prope mentibus inuias, ſed nō humanis cupiditatibus.

At vnde erupit pereundi frequentia, inde creuit peritia nauigandi, vt nouis in dies periculis noua remedia præſtarentur: aſſiduo etenim nautarum experimento didicimus aſtrorum naturam, uentorum patriam, regionum temperiem, litorum mores, portuum ſitus, locorum diſtantiam, æquorum incrementa, gurgitum altitudinem, ſyrtium breuitatem, fretorum anguſtias, vorticum æſtus refluos, & ſubdolas paſſim fraudes latentium pelago ſcopulorum.

Quæ ſanè omnia ignota priùs, vt ſuis quæque locis vbique terrarum reperta, nauigātium obſeruauit induſtria, ita peropportunè deinceps publicæ conſultum eſt vtilitati, vt vnaquæque nauis ſoluens è litore, ſuamet pericula deuitanda, ad amuſſim fideliterque depicta, vno ſecum geſtaret in folio; hoc eſt (quod Synodalibus legibus cauendum, ſeruādumue proponitur) vna in pagina nauigādi.

Iam verò Eccleſiæ naſcentis nauiculam,

quam ſummus artifex Chriſtus Ieſus, apud nauale Caluariæ, ſanguinis pretio comparatam, ſuiſque ipſe trabibus, clauiſque compactam, Diuo deinde Petro tradidit gubernandam, quamuis iacturę omnis expertem, ac naufragij prorſus immunem extruxerit, vt eius nunquam damno portæ inferi pręualerent; haud tamen adeò procellis innoxiam, aut ita omnino ventis eſſe voluit inconcuſſam, vt medio quandoque mari non iactaretur fluctibus, ipſo interim ad induſtriam dormiente: ne fortè ſcilicet, nimia freti ſecuritate, negligerent nautę nauigij curam, quin imò eius incolumitati ſolerter incumberent, laborantes in remigando. haud etenim fortuitò accidiſſe putandum eſt, quòd in captura piſcium retia ſcinderentur, quę iuxta litus deinde Apoſtolica ſolicitudo reficeret.

Quòd ſi turbinibus vexari non deſijt regia illa puppis, cęterarum dux & anteſignana, quam, mercaturus ſalutem noſtram, diuinus Negotiator aſcendit, vbi venit in altitudinem maris, tempeſtate prope demerſus; quid ſanè mirum, ſi naues reliquę militantis Eccleſię, quibus eſt colluctatio contra mundi rectores tenebrarum harũ, & ſpiritualia nequitię, aduerſis ſępe ſæculi procellis ac tempeſtatibus agitentur? Naues certè (vaticinante Iobo po-

ma

ma portantes; ea inquam poma, naturę vitio faciliè putreſcentia, quę olim vetita legerunt ex arbore parentes miſeri, facturi progeniem miſeriorem.

Inter pręcipuas verò Chriſtianę Religionis copias, quę integrę inſtar claſſis, eodem fidei vinculo fœderatæ, Romanæ nauis ductum ac vexillum ſequuntur, iure quidem merito, re & titulo felix, Panormitana uelificatur Eccleſia, ab ipſo iam pridem Apoſtolorum Principe ędificata. Multum planè debet Romæ Panormus, quòd Petrum nouerit ſuę Religionis Auctorem: plus tamen longè debet Roma Panormo, quòd ad cæli claues, clauumque puppis Vaticanæ gubernandum naucleros Petro ſucceſſores adſciuerit, Sergios, Agathones, pretioſa cęlo nomina, ſæculis omnibus adoranda.

Hanc igitur nauium nobiliſſimam, Gentilis olim perfidiæ procellis diu iactatam, vanęque ſuperſtitionis ad ſcopulos propemodum fatiſcentem, ſed ſanctiſſimi Mamiliani Præſulis regimine ereptam periculis, ac Chriſtianæ tranquillitati reſtitutam, tot deinde rātorumq; ſubeuntium Rectorum ſolertia, huc uſque temporum, clementiori cælo, proſperè nauigantem, nunc demū non ſine peculiari Diuini Flaminis beneficio, noua cura ſtudio-

que

que regendam ac moderandam obtinuit vigilantiſſimus Præſulne dicam, an Præſulum Phœnix? qui anni vnius, pauloque vix amplius ſuſcepti regiminis ſpatio venit, vidit, prouidit; vobiſque nuper, PP. naualium velut laborum Socijs, curarumque conſortibus, quaſi minoribus nautis hac celſa in puppi ad conſultationem adhibitis, haud ſecus ac nauem Deliacam Athenienſes, quam immortalem ac ſacroſanctam habebant, demptis, ſi qua putrida aut exeſa marcuerant, confirmatis, ſi qua diſſoluta, aut relaxata obſoleuerant, recentibuſque ſuffectis tabulatis, laterumque compagibus, ita ſubinde reficere ac reſarcire in poſterum ſtuduit; vt tutam à vetuſtatis iniurijs, illæſam à procellarum ictibus, innoxiam à turbinum furijs vindicaret.

Videlicet commiſſę ſibi nauis ſaluti, eiuſque curſus incolumitati ceſſerunt hactenus tot rerum apparatus operumque molimina, quæ nautico planè ſtudio, ac vigilantia diu noctuque curari non ſine omnium admiratione perſpeximus: luſtrata nimirum viſitationibus naualia, diuiſa nautarum miniſteria, ſoluta eleemoſynarum ſtipendia, comparatæ operum merces, purgata vitiorum ſentina, prouiſa Sacramẽtorum alimenta, fundatę decretorum anchoræ, religati legum rudentes,

muni

munita excubijs prora, firmata hortationibus latera, vncta conſilijs carina, ſtimulati concionibus remiges, aperta contemplationibus vela, erectæ virtutum antennæ, deſignata imitandi vexilla, accenſa exemplorum funalia.

Quę ſanè omnia (nec omnia illa tamen) ſi tua Pręſul illuſtriſſime modeſtia pateretur, & laudationem ſibi maximam, & maximum, poſcerent laudatorem. quis enim audeat pygmæus Orator metiri Gigantem, aut extemporaneo hoc verborum abortu, exiguaque anguſti temporis mora tam grandia geſta complecti; quæ vix ampliſſimæ orationis gremio clauderentur?

Verùm enimuerò tot inter nauales machinas, & puppium armamenta, nautarum commodis opportuna; quid ſalubrius, quidue vtilius excogitari potuit, quàm eius paginæ vſus, vbi collecta breui, ac ſuis quæquæ locis ad menſuram reſpōdentia, marina cuncta pericula exactiſſimè deſcribuntur? Siderū porrò obſeruationem in nauigando Phœnices inueniſſe cōperimus, Tyrrhenos anchoram, remum Copas, vela Icarum, malum & antennam Dædalum, inſtrumenta videlicet inquirendi infortunia, prouocandi calamitates: at verò paginam nauigandi, hoc eſt certiſſimum euitādis naufragiis antidotum, non niſi

niſi auctore cælo diuinitus patuiſſe credide-rim. quòd ſi parentis naturæ mira illa prouidentia eſt, vt vbi nocentes herbæ, ac venena naſcuntur, obuia ſimul ibi remedia eadem terra progerminet; quantò ſatius erit artis nauticæ beneficium ita conſuluiſſe nauium indemnitati, vt vbi perire tam promptum eſt, tamque contigua propinquæ mortis confinia, cunctas maris ac ſcopulorum inſidias, fidiſſima uię comes pagina illa tutelaris admoneat, cùm prę̄ſtātius longè ſit damna impedidire, quàm emendare?

Collectis igitur, deſcriptiſque compendio legum Synodalium præceptis ac inſtitutis, quid ſanè aliud intelleximus ob oculos nobis ac prę manibus nuper exponi, niſi accuratè delineatam maritimi velut intineris tabulam cautè ac exploratè ad patriam nauigandi?

Eritne unquam deinceps à recto diuinæ legis tramite aberrantibus ullus purgandæ culpę locus? Eccleſiaſticæ nauigationis pericula ac documenta ſimul, illa una vobis in pagina ſatis abundè iam patent: quinam ſcopuli declinandi, quæ Scyllæ cauēdę, quę Charybdes euitandæ: hi portus tuti, hæc litora malè fida, illęc promontoria procelloſa: quæ ventorum flamina, qui ſiderum ortus,

ortus,quænam menſium interlunia ſint ſecuriùs expectanda:vbi vela contrahere,vbi ſinus obliquare, vnde prorã auertere,vbi curſum circumflectere magis expediat: hoc eſt, detracto allegorici ſermonis inuolucro, expreſſam habemus rectè viuendi normam ac regulam,in qua quid cuique ſequendum,quidue fugiendum ſit, eccleſiaſticus viator obſeruet: Fidei orthodoxæ profeſſionem , diuinę legis doctrinam, eccleſiaſticæ diſciplinæ obſeruantiam, Sacamentorum ritus , morum correctionem, templorum cultum, Religionem propagatam, eneruata vitia, virtutes denique omnes, monitis, pręceptis,conſilijs reſtitutas.

Reliquum ſolummodò eſt PP. vt quæ hactenus inſtituta verbis modò ſancienda curauimus,re quoq; ipſa ſeruemus, ne turpiter videamur leges poſſe faciliùs uiolare, quàm cõdere; præcipere enim magnificentiæ eſt , obtemperare uirtutis. Id profectò Vates regius querebatur, de Sion exijſſe legem,& uerbum Domini de Ieruſalem, inde ſcilicet exijſſe, ubi diutiùs manere,atq; exactiùs obſeruari debuerat. Noſtra certè ueſtigia, ueluti magnarum nauium ſulcos pediſequæ cymbę, paruæque rates ſequuntur , quæ rapido curſui õninò ĩpares,ſi relictæ maris arbitrio porrecti funis

funis auxilio fuerint deſtitutę, aut undarum otio langueſcere, aut decumanis fluctibus mergi neceſſe eſt. has facillimè remulco ducemus, ſi quemadmodum dignitate præcedimus, ſic trahamus exemplo.

Nauem Argo Palladis conſilio fabrefactã, non tam cęlo dignam, ſtellarumque pelago uelificantem Gręca fides induxit, quòd uelius aureum rapuiſſet è Colchide, quàm quòd Rectoris Tiphys, ſociorumque nautarum ſtudio ac vigilantia inter coëuntes Symplegadũ ſcopulos feliciter pręteruecta, incolumes tot heroas patrię reſtituerit.

Noſtrę ſiquidem nauis ſolertiſſimus Gubernator, qui tot eius curę creditos viatores ad ęternę portum trãquillitatis exponat tanquam rationem de animabus noſtris redditurus, ſatis ipſe ſuperque peruigilat: reliquę uerò operum partes nobis procul dubio obeũdę ſuperſunt: ut quemadmodum diſciplina naualis curat, ut alij ſidera obſeruent, alij in ſpecula explorent, alij paginam metiantur, alij uictum curent, alij malos ſcandant, alij rimas impleant, alij ſentinam exhauriant, hi per foros curſitent, illi rudentes agglomerent, multi uela gubernent, plures remigio incumbãt; unus clauum tenens, ſedeat in puppi quietus; ſic ſua quiſque implere munia, quoad ſua intereſt,

tereſt, pro uirili parte non prętermittat.

Nautas cæli ſpeculatores, ac ſiderum ſcientiſſimos, uix unquam, aut raro legimus naufragio perijſſe. Quis porrò noſtrum, tot inter ſæculi fluctus, & animi motus, & dæmonum flatus, & illecebrarum ſcopulos, & cupidinum æſtus, & ſcelerum tempeſtates, ſtellam Arcticam, poli cardinem, nauium ducem, itineris Cynoſurā, hoc eſt æternę ſalutis metā, fixo ſemper mentis oculo negligat contemplari? In uaſis hiſce fictilibus, ueluti nautica in pyxide, incluſum gerimus cordis noſtri magnetem, lapidem verè ferreum, ac ferri cupidum; ſed eius quoque ſideris amatorē, & donec adhæreat polo, ſemper irrequietū; dū ergo longè peregrinamur à Domino, eò ſemper cordis cuſpidem fixam eſſe neceſſe eſt, ut fideliùs in pagina nauigādi recto æquitatis circino ſibi metiri quis poſſit, quònam à ſemita mandatorum aberret, quàm longè diſtet ab itineribus æternitatis.

Id denique unum prę cęteris omnino omnibus diſcrimen, eò fortaſſe periculoſius, quò minus pręuiſum, cauendum maximoperè eſt, ne medios cæleſtis vię progreſſus impediat. Maritimorum itinerum peritiſſimi experimento didicerunt ſępe, notumque poſteris reliquerunt, licet ſecundo uentorum flamine

ne uelis omnibus plenè tumentibus, ualidoque remigantum impulſu totis uiribus obnitēte, medio rapidiſſimo; ſtare tamen immotam ingentis nauigij molem, exiguo ſolius piſciculi dente, tenaciter ad carinam affixo. Remoram nautæ ab effectu uocant, opportuniùs planè dixiſſent nauium peſtem, uiriū lethargum, remorū paralyſin, uelorum deliquium; haud minus uentorum quàm uirtutum, nec minus æquorei quàm cæleſtis itineris ueneficium. Tantá uis eſt deſidię ſcilicet: uſque adeò verum eſt, maxima quæquæ Heroum molimina, rapidoſque uirtutum curſus propemodum gigãteos uel minimis poſſe offendiculis retardari.

Dixi.

FINIS.

A01 1463183

Digitized by Google